NICOLAI CONTARENI
IOANNIS GABRIELIS FILII
PATRITII VENETI.

De Perfectione Rerum Libri Sex.

AD VIRVM AMPLISSIMVM
Leonardum Donatum.



VENETIIS
Ioan. Baptista Somaschus excudebat.
M. D. LXXVI.

SI QVID IN HIS LIBRIS DICTVM FVERIT, QVOD SACROSANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ AVT REPVGNET, AVT NON CONSENTIAT INDICTVM ESTO.

VIRO AMPLISSIMO
LEONARDO DONATO,
NICOLAVS CONTARENVS S. D.

EX iis artibus, quæ optimam vitæ humanæ instituendæ rationem complectuntur, duas excellere in primis, rerum diuinarum atq; humanarum scientiam, & earundem tractandarum præstantiam, uetus opinio est, sapientum omnium firmata consensu. Utra autem ex his viro ingenuo magis sit expetenda quæsitum est nonnunquam à summis uiris, & minimè explicata sententia. Nam altera quidem in eo præstat, quòd dum mentes nostras à variis animi perturbationibus, incertisque rerum humanarum euentibus abducens, ad certas reuocat rerum causas, & constituta principia, tanta nostros sensus uoluptate perfundit, quanta ex maximarum, admirabiliumque rerum cognitione percipitur. Eademq; nos ex mortalium conditione eximens diui-

nis exæquat mentibus, & quàm simillimos Deo reddit. Altera uerò eam affert iucunditatem, qua nihil est in omni vita præstantius. Sola enim facit, ut si qua est in terris beatitudo, eam benè, præclarèque agendo nobis comparare, fruique liceat. Hanc qui possidet, nihil desiderat; nihil quærit amplius: totus in rei omnium pulcherrimæ ac præstantissimæ amore, & tractatione uersatur. Atque eò etiam humanarum rerum usus maiorem uidetur commoditatem mortalibus afferre, quàm contemplatio consideratioque naturæ: quòd magis sit omnis propria. Homo enim quasi mortalis Deus magis ad tuendam, & conseruandam Rempub. natus plerisque uidetur, quàm ad occultas, & abditas rerum inuestigandas rationes. Hinc antiquis literarum monumentis memoriæ proditum legimus, summos ac sapientes uiros, cum ad mundum contemplandum, atque mirandum; tum reliquis philosophiæ, atque bonarum artium studiis deditos, à Lacedæmoniis è suis ciuitatibus eiectos, exter-

mina-

minatosq; fuiſſe. quòd & ad bellicam laudem, & ad cætera Reipub. munera obeunda prorſus iudicarentur inutiles. Hæc antequam me ad grauiora ſtudia conferrem, cùm animo ſæpius mecum ipſe cogitarem; neſcio quo fato in eam ſum mentem impulſus, quam poſtea ætate, & uſu rerum accedente, ueriſſimam, probatiſsimamque eſſe perſpexi. Mutua nanque eſt harum artium coniunctio, nec altera ſine altera ſatis laudabiliter tractari poteſt. Etenim etſi rerum ſcientia ad bene beateque uiuendum plurimum ualeat: multum tamen eam deficere conſtat, niſi ad Reipub. operam nauandam, ad agendas, procurandasq; res humanas, tanquam ad præclarum quendam finem redigatur. Sic non ſatis fæliciter ipſa tractantur negotia, niſi adſint illa, quæ magna ex parte ab optimis diſciplinis, artibusq; ducuntur. Conſilium, Ordo, Prudentia. Præterea temporis, locique ratio. Animi magnitudo, atque conſtantia. Senſus denique moderatio. Hoc etſi mibi primùm confirmauerit, & perſuaſerit,

inſi-

insignis illa doctissimorum uirorum sententia, qua quidem eas demum fore fælices, & fortunatas Respub. asseruerunt, in quibus aut uiri sapientes dominarentur, aut qui regerent & imperarent, sapientiæ studio tenerentur: maximè tamen sum, Vir Clarissime, tuo illustri exemplo commotus. Qui antequam ullam Reipub. administrandæ, atque gerendæ curam susciperes: animum tibi optimarum doctrinarum cognitione excolendum informandumq; duxisti: ex quibus præclara illa tua in Rempublicam merita extiterunt. Deinde verò ut primùm te ad illam gubernandam appulisti, tantus consecutus est tuæ uirtutis fructus: ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. Post ad Hispaniarum Regem Legatus missus à Senatu, non modò in grauissima illa, & nobili legatione opinionem uicisti omnium, sed multorum etiam gloriam superasti. Ita, vt in rerum cognitione atque scientia, an in bello, & pace administranda, muneribusq; publicis tractandis maior sit laus tibi tribuenda,

cùm

cùm in utroque excellas, difficilè ſit iudicare. Eloquentia uerò tantum præſtas, vt ex tam amplo, illuſtriq; Senatu, aut ſuauitate orationis; aut dicendi copia, & grauitate non modò ſit anteponendus nemo, ſed etiam conferendi pauci uideantur. His ego rationibus, & clariſsimi uiri exemplo adductus Venetiis Patauium tanquam ad alteras Athenas aliquot ante annos me contuli, vt doctiſsimos viros, qui omni doctrinarum genere maximè florebant, adirem; atque ab his quid de rerum cauſis ſentiendum eſſet, acciperem. Peripateticos autem primum audiui, quòd de eorum doctrina apud omnes maxima eſſet opinio. tum in Academicorum umbracula cùm ſeceſsiſſem, animum Lycei concertationibus defatigatum quaſi recreaui, iis cognoſcendis rebus, in quibus illi tum ab Ariſtotele, tum ab ipſa ueritate diſſentiunt. Poſt Præſtantiſsimus Iuuenis IVLIVS CARRARIENSIS magno ingenio, & ſingulari humanitate præditus, mihiq; ſumma beneuolentia coniunctiſsimus,

ctissimus, cùm & ab ipsa usque ineunte ætate meorum studiorum, sententiarum, voluntatum socius mihi semper extitisset, ad diuinas etiam literas, cælestemq; doctrinam inuitauit. His ego in studiis cùm aliquot annis magno cum animi mei fructu, & uoluptate essem uersatus: hos mihi libros edendos putaui, vt & mihi aliquid didicisse uiderer, & Reipublicæ huius mei otii quasi redderem rationem. Eos autem in tuo potissimum nomine inscribi uolui; ut tibi qui me primùm tuo exemplo ad hæc studia incitasti, meam erga te propensam uoluntatem, studiumque declararem. In quo si parum quidem profecisse uidear, ucl ob id præclarè mecum actum esse existimabo, quòd mihi tam amplissimum Senatorem imitandum proposuerim. Vale.

O qui diuina ſublatus ad æthera mente
Naturæ ſecreta animo interiore uolutas,
Et rerum uarios in lucem proſpicis ortus,
Seu uaga te certis metiri legibus aſtra
Et iuuat occultos hominum cognoſcere caſus,
Quos agitant rapido labentia ſidera motu:
Seu leuior te cura tenet, dulcią; labore
Abdita perquiris genitalia ſemina rerum,
Quæ mare, quæ tellus, quæ continet arduus æther;
Inuia Naturæ penitus ſi clauſtra latentis,
Et cupis ignotos diuum luſtrare receſſus
Dulcia perpetuæ delibans gaudia uitæ,
Huc age corporea mentem compage ſolutus
Dirige mobilibus greſſum per inania pennis
Qua modò ſidereas ſe CONTARENVS ad arces
Extulit, & leuibus liquit ueſtigia plantis.
Ille nihil mortale agitans pernicibus alis
Terrarum, & cæli emenſus uariabilis oras
Alta ſuper conuexa Poli; ſuper ignea templa
Cælicolum, & puris fulgentes mentibus orbes
Intima in æternum conuertit lumina regem,
Omnia qui iuſtis latè moderatur habenis.
Hunc ubi diuini complexus munere amoris
Inſolita miræ lucis caligine tectum
Attigit, & radios arcani luminis hauſit,
Ingentes reſerauit opes, quas ille deorum
Omnipotens pater, atque hominum ſub pectore ſeruat,
Singulaque in propriis uidit latitantia cauſis,

** Nam

Nam quæcunque ſinu complectitur ubere tellus
Et mare cæruleum ſpumantibus educat undis ;
Aetherea quæcunque plaga , & fœlicibus oris
Astra uident ſuperum , longis orientia ſeclis ,
Illa per æternos æui inuariabilis annos
Stant animo concluſa Dei ; Deus illa latenti
Ante mare, & terras, ante omnia tempora partu
Edidit innumeris in lucem prædita formis .
Quare age ſublimes pennis euectus ad auras
Qua tibi conſpicui præfulget ſemita callis
Ingredere excelſum flammantis limen Olympi ;
Perque domos ſuperum ueſtigia ſacra ſecutus
Immenſum immenſæ Naturæ agnoſce parentem,
Vnde tibi rutili æternis cum mentibus orbes ,
Et pateant elementa ſuas uariantia formas ,
Veraque perpetuæ contingas gaudia uitæ .

PRæclara ſemper et maximè illuſtris ea mihi uiſa eſt philoſophandi ratio, quæ non tam hominum auctoritate, quàm naturæ luce ſubnixa, ſolutè, et liberè in uerò exquirendo uerſatur. Eosque in primis probare, atque admirari ſoleo, qui nulli ſapientum ſectæ ſeſe addixerunt, ſed ueritatem ipſam ubicunque cenſerent, magna induſtria, ſtudioque conquirunt. Nihil enim uiro ingenuo magis dignum eſſe uidetur, quàm iis aſſentiri, quæ aut uera eſſe, aut quàm proximè ad ueritatem accedere ipſa duce ratione cognorit. itemq; ab illis aſſenſionem cohibere, quæ aut incerta ſunt, aut falſa eſſe eadem ratio demonſtrarit. Sunt tamen multi, qui totum hunc diſſerēdi morem nullum omnino eſſe dicant, quòd uiri præſtantes in omni doctrinæ genere excelluerint, quos tanquàm principes, atque ſapientes ſequi debeamus. Quibus in primis Ariſtotelem proferūt, qui primus omnium totam diſpoſuerit philoſophiam, eandemque certis cauſis, conſtitutisque principiis firmarit. Ab hoc qui recedat, eundem ab eo, quod nobis ratio uerum eſſe oſtēderit, recedere, et plerunque à ueritate deſciſere acerrimè cōtendunt. Eosque grauiter accuſant, qui hanc benè iā conſtitutam philoſophiam perturbare, et euertere conantur. Quod grauius ferremus, ſi id ipſum ipſi iudicare potuiſſent. Statuere enim quid uerum ſit, aut quouſque nos tanquam manu ducere ratio queat,

difficillimum esse uidetur. Nos autem quoniam pro ueritate contra eos dicere, qui falsa δογματα alicuius ex antiquis clari uirĩ nomine nixa defendunt: nõ possumus quin multi à nobis dissentiant recusare. Quanquàm nostra quidem causa facilior est, qui ea tantùm defendimus, quæ uera esse censemus. In quo, et à noua Academia multum discrepamus. Etenim etsi in eo nobiscum conueniant, quòd integra utrisque est iudicandi potestas: tamen nos nec contra omnia disserimus, sed contra falsa: et eorum perpetuo decreto nihil posse præcipi uehementer improbamus. Quapropter neque hæ nostræ disputationes, quas nũc edidimus, quidquàm aliud agunt, nisi ut diuersas, et repugnantes clarorum uirorum sententias in medium ponendo, atque rationes in utramque partem afferendo, quid uerè, constanterq; dicatur, inueniamus. Verùm ad hanc disputandi licentiam, ne uagari, et errare cogeretur, modum adhibuimus: atque rationi lucem illam nostris mentibus diuinitùs infusam ita iunximus, ut ex una certitudinem, ex altera euidẽtiam exquireremus. Itaque sex libros edidimus, eo quem diximus, more conscriptos, in quibus et diuinæ Naturæ, et huius totius uniuersi pfectiones prosequimur: Quod eo cõsilio fecimus, ut postquam multos annos in antiqua, et nobili Peripateticorum philosophia uersati sumus, multumq́ue laboris, et operæ in perspiciẽdis Platonis sententiis impendimus, iisq́ue præsertim in quibus cum Peripateticis magnam controuersiam habere Academici dicuntur, tandem quantum à ueritate, atque ratione disciuerint proderemus: simulque

que

que iis de rebus cum summis uiris, qui eo genere sciẽtiæ excellunt, et Patauii, et Venetiis congrederemur. Quamuis autem de omni perfectione hoc totum à nobis susceptum sit negotium: ea tamen libentiùs agitauimus, quæ ad Diuinam naturam, ad admirabilem hanc rerum vniuersitatem, ad corporum principia, ad Cœlum, ad Elementa, ad ipsum denique Hominem spectant, quòd intelligeremus de his cum Academicos, tum Peripateticos cum nostris graues habere contentiones. Horum autem perfectionem, ita indagauimus, ut quæ ad congruam eorum dispositionem, atque in suo genere absolutionem attinerent, inquireremus. Hanc enim cõgruam rerum absolutionem perfectionem nominamus. quæ cum res perficit in se ipsis, tum eas nectit, iungitque aliis. Cuius duæ species esse uidentur. Altera quæ Prima est, et absoluta, quæque aliunde nulla ratione pendet, sed ipsa aliarum omnium causa est, finisque extremus. Altera, quæ prima participat, atque ab illa effluxit. Cuius *et nos* pars quædam sumus, ad eam contemplandam, atque imitandam nati. Quapropter ad Diuinam perfectionem prius, Deo ipso nobis aspirante, et fauente aggrediamur.

Potiora errata sic corrigito.

Pagina 8	linea 28.	iuribus	lege uiribus
10	linea 19.	contingerit	lege contigerit
23	linea 13.	contingerit	lege contigerit
25	linea 16.	inerrarantes	lege inerrantes
29	linea 27.	hac	lege hanc
33	linea 12.	didiſcerit	lege didicerit
36	linea 7.	aſpicunt	lege aſpiciunt
61	linea 4.	gnorare	lege ignorare
65	linea 17.	cogruenti	lege congruenti
66	linea 8.	hæc	lege hæ
75	linea 3.	appellet	lege appellat
85	linea 2.	incertæ	lege incerta
91	linea 20.	ratior	lege ratio
95	linea 3.	Dæmonas	lege Dæmones
95	linea ult.	recordictionis	lege recorditionis
96	linea 14.	cælandi	lege celandi
	linea 24.	terenderet	lege tenderet
104	linea 2.	proficto	lege profecto
105	linea ult.	proſpectu	lege proſpectum
114	linea 3.	repugnantem	lege repugnans
122	linea 16.	Naturarium	lege Naturalium
134	linea 1.	beataæq;	lege beatèque
144	linea 4.	proprius	lege propius
160	linea 14.	Veròm	lege Verùm
180	linea 19.	agouerint	lege agnouerint
186	linea 18.	concupiſcerint	lege concupiſcerent
188	linea 8.	contingiſſe	lege contigiſſe
	linea antep.	cōficiat uiuant	lege conficiāt iuuāt

Pagina 193 linea 23.confirmat lege confirmant
213 linea 4.quæquæ lege quæque
214 linea 4.ea lege eam
221 linea 20.Attingere lege attigere
225 linea 9.ſuperis lege ſuper
227 linea 11.Materiam lege Materia
234 linea 3.quieſcunt lege quieſcant
239 linea 22.illam lege illas
241 linea 1.concreſcere lege coaleſcere
260 linea 17.quis lege qui
261 linea 26.efficientes lege efficientis
285 linea 20.inferior lege inferior altera
291 linea 14.quare lege quære
308 linea 8.poſcet lege poſce
330 linea 3.reſpondunt lege reſpondent
356 linea 24.concubina lege concubinæ

NICOLAI CONTARENI
IOANNIS GABRIELIS FILII
PATRITII VENETI.

De Deo Liber Primus.

AD VIRVM AMPLISSIMVM
Leonardum Donatum.

De modo cognoscendi diuinam perfectionem. *Cap. I.*

QVAMVIS à natura incredibilis quidam cognitionis amor nostris animis insitus sit: tamen nulla re aut magis capimur, aut delectamur, quàm scientia rerum diuinarum. Equidem noua uidere, audire, discere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium assequi, iucundissimum est. In cognitione autem summi Dei excellere, optatissimum, atque pulcherrimũ. Hic.n. locus in frugiferis et copiosis philosophiæ campis feracissimus est; à quo constanter, honesteque uiuendi cuncta præcepta ducuntur. quæ nos primùm ad agnitionem animi instruunt; deinde ad modestiam, et pietatem colendam erudiunt; tum à mente tanquam ab oculis caliginem dispellunt, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media, uideamus. Verum eam uolupta-

Cognitio Dei iucunda utilis atque ardua.

tem, et fructum, quem ex diuina capimus cognitione, summis laboribus, magnisque curis natura proposuit. Tam.n.obscura, atque ardua est huius rei contemplatio; tantaq; est in iuditiis nostris infirmitas, ut, et Deum inuenire difficile sit, et cùm iam inueneris, indicare in uulgus nefas. cuius difficultatis causa, nostrarũ uirium imbecillitati ascribenda est. Deus namque suapte natura omnibus patens est, et apertus. non cernitur autem ab animis nostris, neque uidetur, quoniam immenso interuallo, omnem superat intelligentiam. Itaque non sese abdidit Deus in tenebris, ut, uel angelorum, uel hominum fugeret cognitionem; sed lucem habitat inaccessibilem; in cuius infinitione nullæ sunt latebræ, nulla latibula, recessus nulli; omnia sunt plana, et aperta. Caligo uero illa obscurissima, atque densissimæ tenebræ nostri sunt animorum oculi; quos lucis æternæ infinita claritas, quasi noctuarum nimio fulgore obruit, atque obcæcat. Hãc intueri non possumus, et uiuere: spectare tamen è longinquo, et quasi explorare per nubẽ ualemus. Illud itaq; nobis summo uirium conatu uidendum est, ut Deum aliquo modo agnoscamus, et si ignoremus naturam, uitam, et actionem. Ad quam prouinciam prius quàm aggrediamur, adhibenda est præparatio diligens, qua cõfirmata mens tenebras discutere, et imaginem aliquam tantæ lucis cernere possit. Multum autem prodest si primùm nostrarum uirium infirmitatem, atque nostræ mentis tarditatem agnoscamus. nullæ.n.sunt in nostris animis insitæ rerum notiones, nullæ imagines impressæ, quibus hanc uniuersitatem, et ea, quæ in ipsa continentur, perscrutemur, et uideamus. Omni quoque habitu à natura destituti sumus, qui, et acuere ingenia

Cognoscere Deum cur difficile.

Præparatio ad diuinã naturam cognoscendã.

Propriæ imbecillitatis animaduersio magna præparatio ad Deũ cognoscendũ.

ſolet, et ad intelligendum mentem expedire. Verùm quamuis ab ipſo ortu rerum omnium inſcitiam, quaſi rubiginem cõtraxerimus: tamen unà uim quandam habilem ad intelligendum omnia, nobis ingenerauit natura. Studio namq; ſciendi tenemur, atque ueluti quidam igniculi uigent in nobis, quibus et ducimur, et trahimur ad ſcientiam exquirendam. Quoniam uerò intelligere nihil poſſumus, niſi præſto ſit uis cogitandi, quæ nobis phantaſmata rerum obiiciat, ut in iis perſpicere poſſit mens ea, quæ exquirit; ita corporibus, et figuris aſſueſcunt animi, ut altius uix queant euolare. ſed quoties rem aliquam cõtemplamur liberam, et ſolutam, atque ab omni materiæ concretione ſegregatam, occurrit uis illa, et corpus rei incorporeæ adiungit, & figuram nectit, quibus illius naturam ementiatur. Quare cum Deo contemplando incumbimus, cauendum nobis eſt diligenter, ne iis temere aſſentiamus, quæ obiicit ſenſus, ſed potius illis omni conatu obſiſtamus, negemusque talia conuenire Deo. Ad quod efficiendum iuuat plurimum *optima illa philoſophandi* ratio, quæ in negatione uerſatur. cum Deum, & incorporeum, et infinitum, et nulla facie, aut figura præditum dicimus, eundemque nec ſenſum aliquem, aut cogitationem, aut opinionem, aut intelligentiam habere. neque numerum eſſe, neque multitudinem, neque ordinem, neque ſimilitudinẽ, neque diſſimilitudinem, neque ſeculum, neque tempus. neque moueri, neque quietem agere, nec uitam eſſe, nec uiuere, nec eorum quidquam, quæ nobis uidentur; ſed his omnibus naturam quandam excellentiorem, quæ in cogitationem cadere nulla ratione poſſit. Ex his efficitur nos iniquo animo ferre non debere, ſi in re tam

obſcura à doctoribus, aut refellamur, aut redarguamur. Quod ii facere ſolent, qui certis ſententiis philoſophorum, aut amicorum addicti, eas potius pugnaciſſimè defendere cupiunt, quàm quid conſtans, certumq; ſit ab ipſo diuino Spiritu, ab Apoſtolis, à diuinis Theologis, à ſummo Pontifice diuinorum dogmatum ueriſſimo interprete accipere uelint. Qui quidem impetu, et rabie quadam acti, ita ut mihi furere uideantur; gigantum more Deo repugnare contendunt. Ex hac praua ſolutaque philoſophandi ratione innumera, et oſtenta, et portenta religionum prodierunt. quæ inſanos quoſdam homines ita tranſuerſos cogere, ut diuina omnia, et humana perturbarint. Deus itaque ipſe audiendus eſt, atque illi quos diximus interpretes auſcultandi, ut ea conſtantiſſime, et ad extremum uſque ſpiritum defendamus, quæ nobis quaſi per manus tradiderint. Sed ad id quod cæpimus, reuertamur. Altera prouiſio ad Deum inquirendum eſt bona corporis, atque animi conſtitutio. Hæc, et acumen ingenii, & iudiciũ acre, & excellentem quandam memoriam, atq; in primis ſempiternum ueritatis amorem expoſtulat, omnemq; reſpuit temeritatem, inconſtantiam, obliuionē. Illa uerò in firma corporis temperatione conſiſtit, quæ ea omnia amoueat, quæ menti impedimento eſſe poſſunt ad proprias munerum functiones obeundas. Hæc etſi à natura mortalibus tribuantur: tamen in noſtra poſitum eſt poteſtate illa aſſuetudine confirmare; ut ualentiora, & expeditiora ad agendum reddantur. In quem uſum iam multæ artes inuentæ, comparatæque ſunt. præcipue tamen ſobrietas, et animi, et corporis ualetudini plurimum conferre uidetur. mente namque recte uti non poſſu-

Altera præparatio ad Deũ inquirendum.

mus multo cibo, et potione completi. Hæc enim uires potius frangunt, & opprimunt, quàm reficiant, aut confirment. Optima igitur uiuendi ratio eligenda est; intemperantia omnis, atque in uiuendo licentia fugienda, quæ à ratione, et à rationis præscriptione sic nos auertit, ut facillime appetitiones ruant in mentem, atque illam quocunque feruntur, secum rapiant ferè inuitam. Has quas diximus præparationes sequitur et illa quæ in tranquillitate, et pace ab omni tumultu cum internarum tum externarum perturbationum posita est. Sunt namque refrenandæ libidines, motusque animi comprimendi, ut appetitus rationi obediant, eamque non præcurrant, ne quid temere, inconsiderateq; agamus; sed mens ipsa ab omni inferioris animi turbido motu, & concitatione soluta, huic tam sublimi contemplationi quietè incumbat, nec reuocetur, nec interpelletur unquam. eademq; ratio totius animi domina omnes appetitiones regat, et moderetur. quod nõ tam difficile est quàm præclarum. Hæc est illa mors, quam Plato cõmentari *philosophum* uult: quæ corpus ab anima non separat, sed rationem asserit in libertatem, atque ab appetitu seiungit. Hac mala fugimus, quorum ut idẽ ait, mortalis hic mundus plenissimus est. Hæc deniq; nobis causa est præstantissimæ cuiusdam uitæ; quam amicorum consuetudines, atque summæ consensiones iucundissimam efficiunt. Hæc tota est animi prouisio necessaria ad diuinæ scientiæ assecutionem.

Tertia præparatio.

Vbi autem præparati ita ad contemplandum fuerimus, adest nobis ratio tanquàm lux quædam præclarissima, quæ primum indicat esse Deum; mox inclinatum excitat animum ad illum exquirendum; quo erecto tandem qui-

Viæ, quæ nos ad Deũ cognoscendum perducunt. Rõnis lux.

quibusdam uijs nos ad ipsum perducit. Etenim cognoscit humana ratio sese studio quodam primùm teneri assequendæ ueritatis: mox uoluntatem in bonum propensam animaduertit: tum cernit quouis uero adepto, uel bono assecuto, se posse aliud, et excellentius excogitare, et optare. quare omne uerum adducit ad unum, quod primum sit in eo genere, et causa omnis ueritatis. bona etiam omnia ad unum bonum quò omnia referantur. hoc autem, et unum esse, et infinitum suspicatur, ut satiari, et expleri illa cupiditas possit, quam sibi ingenerauit natura. Inde ad bonitatem Dei se conuertit, quam ubi comprobauerit, ad infinitatem, potentiam, libertatem, amorem, fælicitatem, uitæ genus, et actionem exquirendam excitatur. hæc enim omnia, et pleraque alia animaduertit inesse oportere in re infinita; eaque diligenter indagat, et quædam assequitur adumbratè. cognoscit nanq; Deum, & infinitum esse, et summa libertate, et potestate præditum, et beatissimam traducere uitam. at hæc quamuis ita sese habere demonstret: ignorat tamen quid ea sit infinitas, quæ libertas, quæ natura, quæ fælicitas, eamque assequi, & comprehendere sua ui nulla ratione potest. Multa uerò sunt in Deo, ad quæ humana ratio, nec accedere, nec aspirare ualet: nisi ab ipsomet Deo talia fuerint patefacta. Huiusmodi sunt, quæ de tribus diuinis personis accepimus, de generatione Filii, de diuini Spiritus productione. Quibus, et multa adiungenda sunt, quæ de Superis mentibus dicuntur, de Dæmonum casu, de Hominis integritate, de eiusdem lapsu, de mirabili humani generis reparatione, de gratia, de fælicitate illa, quæ humanam naturam excellit. hæc non solùm non intel-

ligere

ligere aut consequi potuisset: sed ne ad eorum quidem nomen peruenisset unquam. Hæc nanq; supra omnem corporis, animique sensum longe eminent; ad quæ ea intelligendi uis, quæ nihil cognoscit aliud, quàm id, quod aut exceperint aures, aut uiderint oculi, euadere non potest. tantumq; abest ut hæc, aut comprehendamus, aut percipiamus, ut nec etiam ea pro rei dignitate ueneremur, suspiciamus, admiremur. Admiratio enim etsi exquisitam rerum cognitionem præcurrat: iuncta tamen est cuidam confusæ intelligentiæ, quæ quidquid ea in re inest perturbatè saltem ob oculos ponit. Hac nos Dei perturbata cognitione caremus. innumera enim continet, quæ ne suspicaremur quidem; nisi ipsemet Deus lucem quandam in nostros animos sua benignitate infunderet, quæ quid nobis credendum esset, quidue abnuendum doceret: fidemq; in nobis gigneret certam, atque constantem rerum diuinarum. Cælestis itaque lux ista, & à Deo mittitur, et in ea animi ui, quæ præstantissima in nobis est, consedit. alterum uero rationis lumen, ita cum sensuum perspicuitate coniungitur, ut si ij non præcurrant, nihil uideat, nihil cernat omnino. Ijs autem, quæ à sensibus excipit intellectus, uera nomina imposuit philosophia; quoniam eorum naturas iam est perscrutata. sed in illis, quæ à Deo accepimus, cum eorum certitudinem tantùm habeamus, sciētia uerò, quæ res illas apertè prodat, careamus, non potuit mens, in qua fides inhæret, illas proprijs nominibus nuncupare: sed ad similitudines confugit, atque metaphoras. Fides tamen, licèt obscurè, et ueluti in ænigmate res nobis prodat, tam rata firmaque est, ut illius certitudo omni perspicuitati, et euidentiæ rationis sit

Fides altera uia cognoscendi Deum.

anteponenda. Quod, et ipsa nos docet ratio. illud enim certò nobis exploratum est, Deum mentiri non posse, cum ipse sit ueritas. Illud quoque est constantissimum, hęc nobis Deum significasse. quare dubitationi nihil relinquitur loci. A fide itaque certitudo rerum, à ratione euidentia exquirenda est. In altero quoque fides rationi præferenda. Nam ratio ad ipsum usque aditum, et diuinitatis uestibulum nos perducit, atque ea, quæ in prospectu sunt, ostendit, in multisque labitur. Fides uerò in secretos, & intimos diuinæ naturæ recessus mentem abducit, reconditioraq; nobis aperit, atque uagantem, & errantem corrigit rationem. Ex his perspicuum est illos audiendos non esse, qui satis esse rationem dicunt ad omnia indaganda, et inuenienda. Cur enim natura, aiunt, nobis tantum cognitionis amorem ingenuit, si eadem illum explere non ualet? Cur intellectui tantam tribuit capacitatem, ut habilis esset ad omnia cognoscenda, si multa sunt, quæ sua ui assequi non potest? aut igitur accusanda est natura, aut si eadem sapiens est, poterit mens suis uiribus rerum omnium assequi cognitionem. Sed nec mens intelligere omnia potest, nec hoc nomine uituperanda est natura. Ita enim hominibus ingenerauit, & scientiæ cupiditatem, & appetitionem omnium bonorum, ut iisdem facultates daret, intellectum scilicet et uolũtatem, quibus et omnia intelligere, et consequi possent. Ea tamen ratione, ut ea, quæ non superarent eorum ingenium, et auerent suis uiribus, et nanciscerentur: illa uerò, quæ naturam excederent, desiderarent quidem; mereri autem, aut obtinere propriis uiribus non ualerent. Neque illis iniuriam fecit. ea enim et diuina sunt, et longo interuallo

uallo humanam antecellunt conditionem. Quare ut Deum aliquem huius fælicitatis auctorem mortales exquirerent, necesse erat. qui primùm illorum mentibus diuina gratia affulgeret; ut cælestis fidei munere imbuti, ea primùm amarent, quæ eos mereri mox oportebat. deinde, qui diuinam hanc fælicitatem illorum meritis condonaret. Necessaria igitur lux fidei est, cum ad cognoscenda cælestia, et desideranda; tum ut eadem homines promereri queant. Attentè itaque excipere debemus, quæ Diuinitas ipsa de se ipsa, de Angelis, de nostra conditione, et fælicitate indicauit. atque legenda frequenter sunt ea, quæ per Prophetas, Apostolos, Patres, atque summos Pontifices nobis sunt patefacta. quorum uoces tanquàm diuinæ sunt excipiendæ, et asseruandæ. Atque hæc est optima uia, qua diuinitatis scientiam adipiscimur. Sequuntur quatuor illa maxima præsidia, quæ mirificè nos confirmant, maximoque sunt adiumento ad Deum inueniendum. Precatio, *Consideratio naturæ*, Amor, Musica. Etenim precatio, ut ab illa exordiamur, est purus mentis ardor, qui precantem rapit in Deum. Hic, restincta omni cupiditatum siti; purus, et castus Deo exhiberi debet. Nihil enim impurum illi placere potest. Attentio quoque summa adhibenda est; atque omnis animi cogitatio diuinæ impendenda naturæ; ne si, uel in ipso obsecrationis limine, uel inter precandum sensus aliquis à Deo mentem abducat, concentus ille mirificus perturbetur. Asciscendæ etiam sunt uoces, et laudes tanquàm nostræ uoluntatis interpretes. His nihil Deo gratius offerre possumus, nihil quod ma-

Præsidia, quę nos in Dei contẽplatiõe iuuant.

Precatio.

gis immortales deceat mentes. Quod, et testantur Prophetæ, qui, et multi fuerunt in diuinis laudibus, et frequenter imperant omnibus, quæ in terra, quæ in mari, quæ in cælo sunt, ut laudes Deo canant; illasq; hominibus significent. Nec equidem iniuria. Res nanque ipsæ, et monimenta sunt, et elogia quædam, quæ diuinæ naturæ bonitatem, sapientiam, potestatem præseferunt. eoq; modò decantare Deo laudes dicuntur. Id quod, et de quibusdam herbis, et lapillis accepimus. qui, quoniam Solis, uel Lunæ uiribus afficiuntur, eorumque uim apertam, testatamque omnibus faciunt; et cum illis colloqui, et ijsdem occultos quosdā hymnos concinere dicuntur. Inter omnia autem, quæ mundi determinatione concluduntur, Homo admirabile quoddam est diuinitatis præconium. Omnia enim ambit, et continet, atque imaginem summi Dei, quasi annulus gemmam longeque pulcherrimam in animo gerit. Vnde, si quando contingerit, ut cupiditatibus compressis, animoque aptè composito, ad Deum mentem adhibeat, ex illius pectore laudes magnæ erumpunt erga illum; quibus homo uehementer oblectatur, admirabiliterq; recreatur. Quocirca non immeritò diuinas laudes suauissimos animi cibos ueteres Theologi nominarunt. Per illas enim arctissimè primo coniungimur principio, à quo omnia ducuntur, sustinentur, alūtur. Quoties uerò in Dei laudatione non uersamur, et perfecta deserimur uita, mentemque ipsam, ueluti si eius cunctæ uires fractæ, solutæque essent, miserè iacere cernimus. Precibus itaque Deum piè, et sanctè primùm ueneremur: deinde gratias, et si non pares;

pro

pro nostro tamen studio debitas illi referamus: tum ipsum precari, et implorare decet; non ut nobis fauste, fæliciter, aut prosperè res contingant; sed ut primùm ipsi casti, puri, mundi, efficiamur: mox ut ea eueniant bona, quæ nunquam in nostrã perniciem sint cessura. Denique precibus assueti præparamur ad illa excipienda bona, quæ perenni quadam fluxione manant à Deo. quæque, et animum commouent ad amandum fontem illum bonorum omnium, et rationis lucem erigunt, atque uehementissimè corroborant: ita, ut umbratili, et mortali uita exuta, diuinam quandam ætatem traducamus. Etenim Deus, qui omnibus præsens, paratusque est, benemerentibus sese nouis quibusdam aperit modis, atque hominibus cælestes quosdam afflatus immittit, tam suauiter, ut diuinitatem ipsam nostris animis insidere sentiamus. quæ nobiscum agat, nobiscum intelligat, et denique omnibus nostris in rebus, maximis, modicis, minimis quasi aer iste, præsto sit. in primis autem cum Deo contemplando, considerandoque uacamus, maximum affert adiumentum. Atque de prece, et ope quam, rogatio nobis affert, dictum sit satis. Sequitur huius uniuersitatis eximia pulchritudo; præsidium alterum nobis magnas opes suppeditans, ad inquirendam diuinam naturam. Deum nanque etsi agnoscamus ex singulis operibus eius: in primis tamen insignis hic mundi ornatus, insatiabilisque mundi partium uarietas in eius nos insinuat cognitionem. Quocirca cum in cælum suspicimus, astrorumque magnitudinem, et multitudinem intuemur, animaduertimusque tam diuersarum motio-

Consideratio naturæ ad Deũ agnoscendũ multum iuuat.

num incredibilem ordinem, atque constantiam; magna affecti admiratione, cùm earum rerum nos fugiát causæ, primũ obstupescimus: deinde animo reuoluimus ea, quæ admirationem habent, consideramus, discutimus, examinamus: tum quidquid egregium, quidquid præclarum offendimus, omnes putamus esse diuinæ naturæ notas. has ex ijs rebus, tanquam ex umbris colligentes, in eminentia diuinitatis exprimimus. ita ex alijs mundi partibus, omnes omnium perfectiones, tanquam flores decerpentes; uitia uerò cuncta, et tanquàm næuos omittentes; eas reponimus in earum auctore Deo. atque illum ijsdem nominibus nuncupamus, quibus illas nominauimus. Sapientemque dicimus, probum, præpotentem, intelligentem, sentientem, uiuentem, fortem, liberalem, iustum. Denique his animaduersis ad reconditiora, et magnificentiora exquirenda excitamur. in qua erectione non parum ratio confirmatur; commouenturque animi, et pietate quadam afficiuntur erga Deum. Iam uerò Amor firmissimum omniũ præsidium est ad id, quod optamus assequendum. Ducit enim primùm, atque quodammodo rapit in Deum, neque si inuiolatus, purusque sit, patitur, ut in diligendis rebus mortalibus consistamus. tanta enim est summi boni uis, ut uarijs, occultisque uiis omnia ad se ipsum alliciat. Huius rei illud argumento est, quod hic, qui à natura nobis insitus est bonorum amor, ita uiget, ut nulla bonorum mortalium appetitione, aut consecutione, possessioneque extinguatur. neque.n.omne bonum uoluntatẽ implet; ita est auida, et capax, et semper aliquid immensum,

Amor.

infi-

infinitumque desiderat. id quod illis contingere uidemus, qui iis rebus quas adamauerunt assecutis, noua quærunt bona. sed cùm mortalia hæc uehementer cõcupierint, diuina autem nunquàm degustarint, quid uolunt ignorant. Incitamur autem ad diligendum Deum quibusdam igniculis, qui in nostris uigẽt animis, quosque accepimus à natura. qui licèt primũ delitescant, ut uix eos sentiamus: tamen si in pulchritudinem incurrerint aliquam, aut eos acceptorum beneficiorum recordatio præcurrat, in magnos ardores erumpunt. Nihil autem tam ad amandum accendit, quàm si in amore aliquis nos anteuertat. Diligi enim iucundius est, quàm diligere. quæ iucunditas causæ est, ut ferè inuiti ad redamandum trahamur. Nihil autem magis abhorrens ab humanitate uidetur, quàm si in amore non respondeamus iis, à quibus prouocamur. At quæso, quæ nam alia causa impulit Deum, cum ad hanc uniuersitatem condendam; tum ad hominem ipsum tot cælestibus donis, atque muneribus exornandũ, quàm amor quidam incredibilis, quo ad alia suis perfectionibus participanda flagrabat. Et ut cælestes mentes prætermittam, quibus templum hoc augustissimum in primis exornatur; hominem ipsum excellenti quadam, atque intelligenti natura donauit, quæ, ut accepimus in primo omnium hominum progenitore, diuinis muneribus ab ipso exculta, cælestes ferè exequebat naturas. Etenim ille, rerum omnium uires animo comprehensas tenebat, atque fælicem quandam, ómnibusque delitiis affluentem traducebat uitam. nulla in eo animi dissensio, nulla pugna, nulla inerat perturbatio.

turbatio. sed mens tanquàm regina, et domina regebat omnia pulcherrime, & moderabatur. Optimeque constitutum corpus sortitus, nec dolorem, nec ægritudinem ullam sentiebat. sensus quoque cùm incorruptos, atque ualentes nactus esset, in tantam rerum uarietatem mirificè undique oblectabatur. denique ab omni metu solutus, et liber, diem cum Deo colloquendo consumebat. cùmque ab eo uehementissime diligeretur, in iis complexibus diuinos quosdam afflatus excipiebat, quibus ille ingenti lætitia afficiebatur. Verùm cum uolubilitas quædam humanis ingeniis insideat, quæ nostra est libertas; hæc Demonis fraude commota, circumuentaque est. atque cum maiora cuperet homo, Dei lege contempta; à cælesti hac fælicitate deiectus, deturbatusque, in eum incidit statum, quem, et animi contentio, et perturbatio, et sensus atque rationis pugna, et ægritudines, et dolores, et ipsa denique corporis mortalitas est cõsecuta. His laqueis cum sua sponte irretitus homo esset, in maiores calamitates, quæ illi imminebant erat incursurus: nisi diuina prouidentia tantis malis occurrisset: ipsaque sibi humana natura ascita, atque in unam Hypostasim assumpta, et mortales omnes in libertatem asseruisset, et hominem transtulisset in Deum. Hæc qui cognoscunt, et iniquè, et impiè, et inhumanè mihi facere uidentur; si tantam Dei benignitatem, pietatem, clementiam, non suspiciant, non ament, non uereantur. Horum memoria primùm excitantur diuini amoris semina illa nostris animis insita. Iam uerò cum illum tam piè in homines affectum uideamus, et nos, et omnia nostra conseruare,

seruare, procurare, tueri, omnibus præsto esse, atque iis, qui sibi sunt amici, diuina munera continenter impartiri; non possumus, si ea intelligamus, non uehementer ad illum amandum concitari. Vbi ergo incensi inflammatique diuino amore fuerimus, præclarissimum illum effectum consequimur, ut ex pluribus fiat unum. Est enim in amore uis quædã, quæ arctissimè cuncta copulat, atque coniungit. Superiora nanque primùm ad procuranda inferiora mouet: mox æqualia inuicem conciliat: tum inferiora conuertit ad supera; eoque modo omnia uicissim connectit, et colligat. Homo autem arctius mortalium omnium Deo per amorem coniungitur. Nam si castè, pièque charitatem illi exhibeamus, ita nostri concitantur, et commouentur animi, ut mente abducta magis sint ubi amant, quàm ubi animant. atque non ipsi uiuamus amplius, sed in nobis uiuat Deus. Hæc animi traductio ea de causa fit; quoniam amantes, cum omnem cognitionis uim in amato bono impendant; se ipsos primum deserunt, et quodammodo obliuiscuntur. deinde uoluntas, et appetitio suis bonis non contenta, præstantiora auet, et ea quærit in amato bono. magnoque nititur conatu, ut illa non summis (ut dicitur) labiis degustet, aut delibet: sed per intimos recessus peruadere cupit; atque si fieri posset, ut nec consumeretur, nec destrueretur, in rem amatam se ipsam uellet transfundere. Cumq; amotis hic raptus tam uehemens sit, perspicuè cernimus, quando absunt res amatæ, et immenso desiderio nos languere, et feruere, et multa alia pati; ita ut quandoque animus è corpore euolare uideatur. Diuino

igitur

igitur amori assuescere debemus; si in diuinæ naturæ
Musica. cognitionem perfici optamus. Prostremò Musica, et uocum inflexiones, et acuere ingenia possunt, et ad pellendos animos magnum momentum habere uidentur. Tanta enim in cantibus, et sonis uis inest, ut cùm primùm per aurium anfractus ad animũ delati fuerint; nos statim, et moueri, et agi, et uerti, et mutari sentiamus. Tanta quoque in numeris, modis, uocibusque cernitur uarietas, ut, et dolorem lenire, et reuocare nos à curis, et mores effingere, et bene compositum animum perturbare, et, quod incredibile dictu est, mentem eripere, et ereptã restituere queat. A ueteribus nanque accepimus, quosdam Phrygia musica et lira à furore ad rationẽ traductos fuisse. alios ab iracundia temperasse, et animi libidines refrenasse. multos etiã mollioribus, et delicatioribus quibusdam uocibus compulsos, in immoderatas exarsisse cupiditates. In bello etiam, et acie homines, et equi buccinæ, tubæque cantu ad pugnandum acerrimè accenduntur. Quin etiam ipsæ immanes bestiæ tenentur cantibus, atque iis flectuntur, et facillimè consistunt. quod de equo, de urso, de cane, de ceruo legimus. Musica igitur multa gignit in animo admiranda, quæ omnem fidem superare uidentur. Indè Plato prudenter iussit, pueros in syncera quadam, ac simplici harmonia ex grauibus, ac seueris numeris, uocibusque constante erudiri. quæ, et aptè mores effingeret, et affectus atque cupiditates optimè temperaret. Hac mutata, et mores ciuium mutari, et ciuitatum status euerti idem dicebat. Multiplicem autem uituperat harmoniam; ut

potè

potè quæ in diuersas cupiditates nos distrahat, atque discerpat, et uarios affectus, ac perturbationes indue re faciat. Molliores enim uoces uires frangunt animorum. Asperiores autem, et seueriores, si frequenter admittantur, ad immanitatem usque compellunt. indeque tyrannide quadam in animo primùm introducta, in ciuitatem deindè irrumpit; si contingerit homines sic affectos regnare. Itaque priscæ philosophiæ studiosi cum ad contemplationem; tum ad mores musicam adhibuerunt. Atque cum quieti sese dabant, quibusdam modulationibus utebantur, ut lenior irreperet somnus: Experrecti autem stuporem à somno contractum aliis modis curabant. tenebras, si quæ ortæ erant, discutiebant, atque iisdem ad contemplandum præparabantur. Optima igitur nobis ratio musicæ eligenda est, quæ animos moueat, atque exuscitet, et mentem acuat ad diuinam inquirendam naturam. Quod de Eliseo accepimus. qui cum arcana Dei consilia excepturus esset, symphoniacam puellam ad se adduci imperauit. cuius cantu concitatus, atque quodammodo correptus diuinos excepit afflatus.

De Nominibus Dei. Cap. II.

HIS uiis animaduersis, atque his confirmati præsidiis; nunc contemplationis nostræ cursum dirigamus in Deum. Primumque uideamus quo nomine præstantem illam, atq; æternam naturam commodius nuncupare possimus. Diuinorum autem nominum, quæ Deo ab hominibus tributa sunt, duo genera esse uidentur: alterum quod ex illis sumitur perfectionibus, quæ in Dei operibus relucent, diuinæque ascribuntur naturæ: alterum ex nostra ducitur ignoratione. Prioris generis sunt illa. summum bonum, prima, æternaque natura, diuinum numen, summus rector, totum, iustus, fortis, pius, fælix, beatus, quietus, securus, creator, conseruator, moderator, omnisciens, præpotens, pater, rex, dominus, retributor, ordinator, principium, medium, finis, sempiternus, uiuificator, largitor, prospector, opifex, prouidens, beneficus, solus omnia omnibus. Adde illa, quæ Prisci, uel Philosophi, uel Theologi, uel Poetæ suis carminibus celebrauerunt. quæ uates alii, atque Sybillæ suis prædictionibus inseruere. Adde etiam Cabalistarum nuncupationes, atque nostrorum Theologorum appellationes, quibus et optimum architectum, et consiliorum directorem, atque malorum auerruncatorem nominarunt. Quæ nomina diuinam essentiam non designant: sed actiones aliquas significant, quibus Deus humanum genus bene affecit. Longè melius illa Deum exprimunt, per quæ

Diuinorũ nominum duplex genus.

quæ negamus nos ipsum intelligere, atque nostram ignorationem præseferunt. ut cum dicimus infinitum, immensum, incomprehensum, incorporeum, supra essentiam, supra potentiam, supra sapientiam, et denique omnia super omnia. Inter hæc autem solùm Dei nomen primam illam, atque immensam diuinam describit naturam. Sed cum nullum sit nomen, cuius ui omnia, quæ in Deo insunt, contineantur: non potest uno nomine mens diuina comprehendi. Si quod autem tale esse potest, illud profectò est, quod ab ipso diuino numine Mosi est declaratum. Ego sum, qui sum, dixit Moysi Deus: sic nuntiabis filiis Israel, qui est misit me ad uos: Rursus nomen meum. יהוה non indicaui eis. Hoc tanta cura, et studio ab Hæbreis in mysteriis asseruatum est: ut illud proferre sine magno crimine nefas putent. Quamobrem cùm in summa ueneratione haberetur; cumque neque græci, neque latini ullam haberent uocem, quæ illius nominis redderet uim: ab illis tetagrammaton à nostris *ἄφατον*.i. ineffabile dictũ est. In eo autẽ magna occultari mysteria cum ipsius auctoris infinita sapientia: tum Hæbreorum linguæ maiestas: tum denique summa Prophetarum atque omnium illius ueneratio apertè testatur. Multa à Cabalistis exposita sunt. Illud uulgatum est, quòd quemadmodum diuina natura omnia tranat, atque cunctis rebus adest: ita ineffabile hoc nomen, cùm ex omnibus uocalibus constet; ex quibus omnes exiſtũt uoces; in omnibus inest nominibus, quibus rerum naturæ nuncupantur. Consonantes uerò tam arcta necessitudine inter se coniungũtur ut י in ו ו in י in utrunq;

Deus.

יהוה

iod in uau uau in iod

utrumque ה, et uicissim ambo in ה frequenter commutentur. Qua literarum reflexione, nobis circulus quidam designatur, nullis terminis consistens, in quo infinitas diuina hominibus insinuatur. Id ipsum perspicuũ fit, si eas literas ad numeros adduxerimus, in eo enim י primum ponitur et semel: deinde ה bis: mox ו semel. Prima decem: altera quinque: tertia sex: extrema iterum quinque indicat. denarius autẽ, quinarius, senarius circulares numeri sunt. quod toties replicati, quot in illis unitates continentur; iterum in se ipsos reuoluuntur, et speciem quãdam referunt circularem. iam si hos numeros simul componamus, in initiũ magni circuli incurrimus. quod initium deinde eodem modo replicatũ magnum circulum reddit: simulachrum non incongruum diuinitatis. Illud autem admirabile uidetur; quod iidem aiunt Cabalistæ: si numeros spectemus, qui in nomine IESV sunt inclusi, in eodem, et diuinam; et humanam naturam inesse apertè significari. Nam in ineffabili nomine, quod diuinitatem refert, circulares illi continentur numeri, qui sex et uiginti complent partes, in מאריא nomine, quod humanam exprimit uim, duceni nonageni. Omnes autem in IESV concluduntur.

De Natura Dei, &c. Cap. III.

TOTAM hanc quęstionem de prima illa atque æterna natura, diuidunt nostri in partes tres. Primùm docent Deum esse: deinde quid sit: tū qualis. atque in hoc multa de bonitate, de infinitate, de uitæ genere subtiliter edisserunt. quæ omnia plena dissensionis inter philosophos cernuntur. Primam itaque partem sumamus. quæ ne longa quidē oratione egere uidetur.

Eamque, et multi relinquunt; quia putant illud, quod in ipsa quæritur, ex eorum numero esse, quæ euidentia, et sponte sua, nota dicuntur. Atque illos reprehendunt, qui multi sunt in ea re comprobanda: quòd perspicuitas argumentatione eleuetur. Illud solùm ipsi confirmant: uim quandam diuinam in mundo reperiri perspicuum, atque euidens esse: eáq; cognitionem nobis ingeneraſſe naturam. Cuius rei grauissimum argumentum proferunt: quòd opinio de Deo, et omnium gentium sit, et quotidie crescat. quod autem omnibus est commune, illud à natura insitum esse, necesse est. Sed hoc argumentum, et leue est, et falsum. nam si quod nobis tribuit natura, nec respuere, nec ementiri possumus; quō, et Diagoras, et alij Deum penitus sustulerunt? cur ambigunt multi? cur dixit insipiens in corde suo, non est Deus? Sed profectò res ita se habet, quòd à natura insculptas in animis nostris multarum rerum notiones existimamus, quas ab infantia edocti cum ipso lacte exhaurimus. eaque ratione, quæ aliunde didicimus paula-

An euidens sit, & per se notū Deum esse.

tim,

tim, et imprudenter reijcimus in naturam. Principia nanque illa quæ perspicua sunt, atque animo cōprehensa tenemus (uno uel altero excepto) non de natura, sed de sensibus sustulimus. Euidentia uerò uidentur, quoniam clara sunt oculorum iudicia.

Notionem Dei nō hausimus à natura.

Opinio autem Dei, quam auribus excipimus, nisi illam, aut ipsemet Deus, aut Dei interpretes nobis significauerint, et inconstans est, et obscura. Neque enim huius rei iudicium est in sensu. Quamuis autem nulla Dei notio nostris animis sit consignata: tamen Deum in prospectum ita posuit natura, ut illum esse prompta, atque facili argumentatione colligamus. Admirabilem enim uim nobis tribuit, qua, et admirari cuncta possimus quæ ignoramus, et quæ iam suspexerimus indagare. Admirationem mouet cum magnitudo, tum nouitas earum rerum, quarum causæ sunt nobis occultæ. Admiratio aūt suspitionem primùm gignit; deinde mentem excitat ad inquirendum, quod ante admirati sumus. Ex ijs autem, quæ admirabilitatem habent, multa sunt, quæ nos in aliquam Dei suspicionem adducere possunt. Multa, quæ Deum esse ostendunt. Vnum, quod tam apertè demonstrat, ut uel ipsas immanes feras, si intelligerent, conuincere possit facillimè.

Natura in Dei prospectū ferè nos posuit.

Faciles quædam, & expeditæ argumētatiōes, quæ nos in Dei suspicionem adducunt.

In suspitionem autem Dei uenimus, statim ac iudicio aliquo ualemus, atque nos ipsos, et nostra animaduertimus. quippè obstupescentes admiramur quomodo in hanc lucem prodierimus; eoque tempore, et non alio potius nati simus, cùm antea nunquam fuisse recordemur. hoc non nisi à ui aliqua, quæ, et semper fuerit, et omnia suo regat nutu, fieri posse arbitramur. Quæ

suspitio

ſuſpitio ubi adoleuimus, quòd eam aliunde comprobemus; firmiſſima ratio uidetur: non ſolùm ad oſtendendum Deum eſſe: ſed etiam ad indicandam eius æternitatem, ſapientiam, libertatem. Hæc ut diximus nobis ſuboritur ſuſpitio ex eo ſolùm, quod intelligimus nos nunc eſſe, antea non fuiſſe. Quæ cognitio cum omnibus præſto ſit; ubique etiam cunctis eam Dei coniecturam ob oculos ponit. ita ut ſi fingamus mortalium aliquem ſub terra ſemper habitaſſe: aut obſcuriſſimis tenebris circumfuſum nihil unquam uidiſſe, nihil audiuiſſe, eo ipſo, quòd ſe ipſum eſſe intelligit, ad diuinam aliquam uim ſuſpenſo animo mentem adhibet. Si quando autem contingerit, ut ex illis tenebris excitus, cælum, cælique ſpeciem aſpiciat: Solem item, atque Lunam, et innumerabilia mundi aſtra animaduertat: uideatque dierum, atque noctium perpetuas uiciſſitudines, putamus ne illum tam amplum, pulcherrimumque theatrum, quale eſt cælum, habitatoribus carere exiſtimaturum? cùm uideat aerem, mare, terras ipſas, quæ nulla ratione cum cælo comparanda ſunt, et inanimatorum, et animantium eſſe pleniſſimas? Deniq; et ipſa omnium excellentiſſima uirtus iuſtitia ad Dei opinionem hominibus inſinuandam, haud paruum momentum habet. Cætus nanque non nefarii, ſed iure, et legibus ſociati, diuinitatis quandam umbram retinere uidentur. quòd non ſolùm eos inſtitutos cernamus ad continendam, temperandamque mortalium uitam, quæ ſolitaria uix poteſt conſiſtere: ſed etiam ad infligendas pœnas prauis hominibus, et ſi nihil boni ciuitati inde eueniret. At unde accepimus,

et uitia

et uitia corrigenda esse supplicijs, et uirtutes præmijs afficiendas? procul dubio à recta ratione. quæ ab eadem natura nobis data est, à qua et rationem accepimus. Si hæc itaque animaduersa sunt à natura, atque eadem ut nos idem faceremus edocuit; oportet eam, et uigere, et sapientissimam esse. Atque his modis præcipuè ad Dei suspicionem excitamur. Quatuor autem rationes nobis idem apertè declarant. Vna ea ratio est, quæ est suscepta ex Mundo ipso, atque distinctione, et rerum uarietate. Altera ex ordine, et consensione partium Vniuersi. Tertia ex motionum cælestium æquabilitate, atque constantia. Quarta ex admirabili humani corporis fabrica, et aliorum animalium opificio. De quibus omnibus dicemus posteà diligentius. Nunc autem ea leuiter duntaxat commouebimus, quæ, si quæ sunt in hac re tenebræ, facillimè discutere queant.

Ex quibus locis rationes ducantur, quæ apertè ostendunt Deum esse.

Mundus itaque, ut ab ipso exordiar, non solùm Deum esse, sed, et bonum, et infinitum, et sapientem, et liberum, et æternum, et prouidentem apertè declarat. Nanque si omne, quod determinatum est, necessariò causam habet aliquam efficientem, quæ illud determinauerit: auctore non carebit mundus, cùm illum certis terminis conclusum uideamus. à se ipso enim determinari nō potest, quin à se ipso non producatur. quo quid repugnantius dici potest? Vim itaque illam, qua mundus hic constructus est, diuinam esse oportet, idest primam, atque æternam naturam, quæ nullam habeat causam à qua sit. alioquin si et ipsa effectorem aliquē habuerit, nec erit prima, nec mundi causa. Hunc Deum dicimus, et auctorem omnium nominamus.

quem qui esse negat, haud sanè intelligo cur non idē, et Solem esse, et Lunam, et astra, et totum denique mundum tollat. Si enim nullus est mundi auctor, quomodo tam uariæ rerum naturæ extiterunt? neque enim, quia sit æternus, ut multi iactant, ideò carebit causa: sed causas habebit æternas. Diuturnitas nanque temporis efficere non potest, ut aliquid sit sine causa. sed neque perpetuitas, neque æternitas. Illud tantùm præstat uetustas operis, ut antiquas causas esse demonstret. sic perpetuitas, sic æternitas. eas autem nullo modo tollit. Admirabilis autem mundi partium distinctio, atque insatiabilis rerum uarietas, ex qua eximia huius totius mundi pulchritudo consurgit, quomodo sine causa disponi potuit? Cur Sol medio in Cælo locatus est, aliumque locum non occupauit? Cur innumerabiles illæ stellæ, quæ inerrantes appellantur, uni tantùm infixæ sunt orbi; non autem sparsæ, atque fusæ sunt in omni Cælo? Cur tantam distantiam inter se sortitæ sunt, quam nunquā mutent; cùm potuerint, et maioribus disiungi interuallis, et minoribus congregari? Cur Cynosura propè Polum; Aries autem in excelsitate primi orbis positus est? Cur denique Sol duntaxat, et Luna, et quinque illæ stellæ, quæ uagæ dicuntur, ab eo orbe, qui ingentem inerrantium syderum multitudinem est complexus, seiunctæ sunt; atque illis proprij asciti orbes? Hæc non nisi à ui aliqua mentis compote, quæ omnia efficiat summa sapientia, atque consilio prouenire possunt. Ordo autem, quem singularem in hac rerum uniuersitate conspicimus, Deum esse, qui cuncta connectat, mirificè confirmat.

Etenim in mundi partibus insitæ sunt quædam applicationes, et propensiones ad bonum, quæ res cunctas permulcent, alliciuntque ad illud optandum, et prosequendum, quod consentaneum suæ naturæ præsenserint. Quæ inclinationes, cùm earum pleræq; et diuersæ sint, et aduersæ pro uaria bonorum natura, quæ expetunt: tam aptè inter se temperatæ sunt, ut longa causarum serie admirabiliter colligentur. ita ut quæ perfectionem ab alijs exquirunt, illis proximè adhæreant, ut eam facillimè consequantur. Quæro itaque cur mundi partes ipsæ sibi ipsis non sint sufficientes, sed indigeant hac cum reliquis partibus societate, qua conseruentur, et perficiantur? Deinde illæ tam uariæ propensiones, quomodo sibi respondeant, ut una causa sit alteri suæ perfectionis? Quæ comparatio, quæ proportio in illis inest? Quomodo denique cùm pleræque earum contrariæ, repugnantesque sint, in hanc coalescunt naturam, quam uniuersitatem appellamus? Quis eam tam aptè, atque contextè, ita ut una ab alia pendeat, colligauit? Profectò Deus est aliquis in mundo, qui sua ui cuncta regit, et moderatur, atque rerum ordines conseruat.

In astrorum autem motionibus plura insunt, quæ diuinam naturam attestantur. Situs, numerus, disparitas, celeritas, æquabilitas, atque in omni æternitate constantia. quæ intelligi non possunt sine mēte, ratione, et consilio. Deinde illa, quæ hæc sequūtur. Solis accessus, et recessus uarij: unde temporū mutationes, et rerum uicissitudines dicuntur. Lunæ cum Sole congressus, atque digressus: incrementa, et decrementa, et utriusque certæ, atque in multos

annos

annos prænunciatæ defectiones. quæ omnia cum suis temporibus, inuariabili quodam euentu, contingant, non fiunt à fortuna: quæ amica uarietati, omnem respuit constantiam. Restat ut de admirabili illa fabrica, qua omnia constant corpora, in primisque hominum, aliquid dicamus. Tantæ enim molitiones ab ea ui, quæ delitescit in semine, effici non possunt. Nanque cùm materiam nacta sit uniusmodi, non potest illam in tam uaria membra tẽperare. dubia enim est, atque ad omnem formam suscipiendam idonea. Cur igitur hæc potius cordis formam excipit, illa uerò cerebri? Quomodo tam uarias obit munerum functiones, ad tam diuersa membra confingenda, cùm undique similis sit? Cùm autem illæ omnes corporis partes, quæ effinguntur, in usum et emolumentum animæ sint comparatæ; oportet, ut uis illa architecta corporum, et uitam cognoscat, et motum, et sensum, et intelligentiam, et denique reliquarum omnium omnes usus, si hæc membra apta intelligit ad *uires illas suscipiendas*. Denique, et si hæc quæ diximus rem hanc persuadere, et demonstrare queãt: est tamen ratio alia, aliarum omnium firmissima, quæ Deum aliquem esse, eundemque finem omnium constanter declarat: ut uel procaces, uel impios, si rationem audire uelint, euincere possit. Hæc autem ab insatiabili quadam boni cupiditate, quæ uiget in nobis, ducta est. Omnis enim natura est diligens et conseruatrix sui: quocirca omnia declinant, quæ sibi nocitura uidentur; atque illa, quæ ad se ipsa conseruanda sunt necessaria, cùm ea in se ipsis non habeant, expetunt aliunde. Quam appetitionem, et nos ex

natura arripuimus, hausimus, et expressimus. ut scilicet ea quæramus bona, quæ nobis consentanea sunt: illa uerò respuamus, quæ nostræ uitæ repugnare, et aduersari uidemus. Nunc autem ex his sic agamus. Ex hoc appetitu excitamur ad inquirenda bona, quæ explere hãc cupiditatem possint. Illa extrà nos sunt, et numero quodam comprehẽsa: ne si infinita essent, fluctuaret temerè naturalis appetitio. infinita nanque peruadere nefas est. Inter hæc autem, quod extremum est, summum bonum esse putamus, et summopere expetendum: et quò omnia alia referantur bona: atque omnis conatus naturæ, et omnis actio tendat, et dirigatur. Cumque extremum sit in genere expetendorum; commune uniuersi bonum esse arbitramur. Quare, et præstantissimum omnium, et præclarissimum: cùm omnibus ea, quæ illis consentanea sunt bona, tribuere possit. Nostra autem hæc appetitio, cùm inexplebilis ferè sit (id quod apertè indicat cuiusque boni adeptio, quæ nostræ uoluntatis ardorem restinguere non ualet; sed aliud semper, atque nouum uolumus, et optamus) à nullo satiabitur; nisi ab eo, quod innumera bona coercet. Hoc extremum bonum, Deum esse dicimus. eiusque excellentem naturam ueneratione, et cultu dignam existimamus. Sed de prima parte à nobis dictum sit satis.

Quid sit Deus. Sequitur altera pars, quæ quid sit Deus inquirit. Difficilis sanè, ac perardua quæstio, et quæ omnem nostram superet intelligentiam. In cuius inquisitione multi diù defatigati inuenire se, quod quærerent, diffisi sunt. Multi in re tam abstrusa indaganda, quia sensus comites sibi asciuerunt plurimum à ueritate

desciuere. Alii diuinam designarunt naturã potius, quàm expresserint: uel ad eam similitudines adhibendo: uel actionem aliquam, aut perfectionem adumbrando. Eiusmodi sunt illa. Deus est circulus, cuius centrum nullibi, circumferentia ubique. Est animal optimum, et sempiternum. Est uis quædam intelligens, cuius nutu effecta sunt omnia, sustinentur, et conseruantur. Est qui uiget, qui sentit, qui uidet, qui regit, qui moderatur cuncta. Verùm has nos non quærimus sententias, quæ aliquid, quod aut insit in Deo, aut ab illo efficiatur, exponant: sed difinitionem aliquam, quæ quid sit, comprehendat. Cùm autem Deus infinita natura sit, ut postea ostendemus, nullis debet ea difinitio limitibus illum concludere. Ex omnibus igitur, quæ hucusque humano ingenio compertæ sunt, illa optima est difiniendi ratio, qua Theologi nostri dicunt Deum esse ens per essentiam. Cùm enim diuinã naturam perspicere exactè nõ possimus: cumque in illius contemplatione, et aspectu deficiat *ingenii acies*, nec unquàm, quomodo Deus in seipso sit, exprimere ualeat: ad illud confugiunt, quod et si non satis aperte declaret qualis sit diuina uis: tamen illam exequat. illis nanque uerbis nobis significatur, Deum nec esse corpus, nec sensum: sed solutum, atque liberum ab omni concretione materiæ, atque ab omni coagmentatione alienum. Et ut expressius rem hac edisseram, ens per essentiam appellant Theologi naturam illam, quæ est omne ens. i. quæ nulla participat idea: sed ipsa est idea rerum omnium. Quod et Deus de se ipso testatus est. Ego sum inquit qui sum, et sic nuntiabis filiis Israel: qui est misit me ad uos.

Optima rõ definiendi Deum.

Neque

Neque luculentius describi potest natura diuina: Nã tantùm abest; ut hæc definitio terminos aliquos Deo præfiniat; ut imò illi omnes tribuat perfectiones.

Diuinarũ perfectionũ origo, mira que earum inter se cõnexio.

Ex ea itaque descriptione effluunt illa, quæ attributiones à nobis dicuntur: miro quodam nexu, ita inter se colligatæ; ut una ex alia admirabiliter pendeat. Atque primum Veritas. Deinde Bonitas, quæ essentiam comitatur, cuique semper par est. quare, et ipsa nulla participabit idea: sed erit exemplar omniũ. Tum infinitas. ex qua Omnipotentia, Vnitas, (sic loqui cogor uerborum inopia) Præsentia quædam, qua Deus intimus est cunctis rebus, actus Puritas, et Simplicitas existunt. Simplicitatem autem sequuntur duo illa: intelligentia, et immutabilitas. Ex quarum altera, nempè immutabilitate, æternitas: ex altera intelligentia scilicet, fælicitas, et optima atque beata uita emergit. Denique innumerabiles aliæ ex ea definitione exoriuntur perfectiones; quas omnes tribuimus diuinæ naturæ, et in quibus omnis cognitio, quam de Deo mortalibus assequi fas est, concluditur. Non me fugit plura alia esse, et nobis cognita, quæ ascribimus Deo. ut quando illum uocamus, creatorem, conseruatorem, moderatorem, prouidentem, pium, iustum, uindicem. Sed hæ diuinas potius designant actiones, actionumque principia illa, quæ ad res constituendas cõcurrunt, quàm substantiam. Quamuis autem rectè extorserit usus, ut Deum bonum infinitum, præpotentem, unum, simplicem, immutabilem, æternum, intelligentem, beatum nominaremus: quia tamen hæc uidentur denotare bonitatem, et infinitatem formam aliquam Dei

esse,

esse, et eam quidem priorem: quod sanè impium est; iccirco rectius bonitas, infinitas, immutabilitas, æternitas, intelligentia, beatitudo nuncupatur. Restat ut consideremus qualis sit ea numeratio, atque distinctio, quæ interest inter eas perfectiones, quas Deo attribuimus: atque unde sit exorta. Sunt qui censent eam numerationem æternam esse in diuina natura. Perfectionesque unam quidem rem esse, nempè Deum. earum uerò notiones, atque definitiones semper discretas fuisse. Qui quidem mihi, et diuinam componere naturam, et eandem discerpere, et dilacerare uidentur. Quid enim est aliud ea notionum distinctio, quàm numeratio quædam plurium rerum, quæ sese permeent in uno subiecto? Si autem diuina natura nullis terminis est conclusa, quomodo illius infinitio patitur hanc formarum, et notionum distinctionem? Absorbet nanque omnia infinitum in suo genere, nec quicquam patitur extra se esse, neque notiones aliquas extra suam notionem: *neque multitudinem admittit*. Quod si illæ notiones inter se diuersæ, differentesque sunt, non erit una natura Deus, neque diuinæ naturæ una notio infinita: sed plures infinitæ naturæ, infinitæque notiones. Quocirca ea numeratio perfectionum, quas diuinæ attribuimus naturæ, æterna quidem est diuinæ menti: nobis autem tum exorta, cùm Deus hanc rerum uniuersitatem procreauit, antequam uerò sese rebus impertiret: nimirum quando in eo absolutissimo statu degebat, qui omnem anteiuit procreationẽ; nullo modo se ipsis distinguebantur. Etenim illa numeratio in quadam comparatione ideæ, et eorum quibus

Quænã sit distinctio inter diuinas attributiones, et unde exorta.

idea

idea impertitur, posita est. Imagines nanq;, quæ uariè uno exemplari participant, repræsentant, et numerant illas omnes perfectiones, quæ in exemplari continentur. Si autem neque adsint imagines ullæ, neque mens aliqua sit, quæ animaduertat quibus modis perfectiones illæ cum aliis communicari possint, nulla omninò erit earum distinctio. Quemadmodum color si neque albedinem, neque nigredinem, neque alias innumeras formas participasset: neque etiã esset uis aliqua, quæ eas cognosceret species, quibus color posset sese impertiri, nulla omninò esset coloris distinctio. Itaq; cum in Deo omnia sint unũ, et unum omnia: nec se unitas protendit, nec numerus ab unitate discedit: sed indissolubiliter omnia sunt unum. Vbi autem longè, lateq́ue in hanc, quã cernimus rerum uniuersitatem suas, perfectiones propagauit Deus, suæq; naturæ tam uarias expressit imagines; cùm hæc simulachra eas, quibus participarãt, perfectiones præseferrent: statim uis intelligens illas omnes numerauit in Deo. Haud longè secus quàm in sigillo contingat. Etenim antequam quicquam obsignet, nulla in eo est figuræ distinctio, aut numeratio: sed una est figura eas omnes continens imagines, quas imprimere potest: ita ut nec unitas ad numerum labatur, nec numerus ab unitate discedat. Sed si Numen aliquod efficeret, ut ex una figura plures eædemq́ue diuersæ exprimerentur imagines: exoriretur primùm distinctio inter illas imagines impressas. eæq́ue cum inter se diuersæ sint, singulæ suam in exemplari referrent effigiem; sicq́ue non discerpendo, aut dilacerando ideam, eo modo quo illam participarunt

ticiparunt repræsentarent. Nulla igitur alia est diuinarum perfectionum secretio: nisi illa, quæ ex rebus productis, et mente contemplante existit. Quæ quidem nullo modo diuinam diducit naturam: sed quasdam explicat perfectiones, ex innumerabilibus quas Dei infinitio simplicissimè coercet. Quocirca nec audiendi sunt illi, qui sola nostra intelligentia, nulla alia adhibita rerum comparatione ad Deum, diuinas dicunt numerari perfectiones. Nam hoc munus, et rerum est, et mentis (ut diximus) nō solius intellectus. Mens enim ulla in re nihil internoscit, nisi eam distinctionem, aut ex effectis illius rei didiscerit, aut ex iis quæ à re illa effici possunt. Quare semper necesse est, ut prius effecta cognoscat: deinde illas perfectiones, quæ in operibus relucent, distinguat in causa.

De Bonitate diuinæ naturæ.
Cap. IIII.

RESTAT ut de tertia disseramus parte, quæ, et omnes continet attributiones, et eam, quam de Deo assequi possumus cognitionem, concludit. Quamuis autem omnes illæ perfectiones, quas diuinæ ascribimus naturæ, ita in ipsa insint, ut ab ipsa ne internoscãtur quidem, nihilque anteuertat aliud, aut subsequatur: tamen quoniam res, quæ diuinitate participant, illas nobis produnt ordine quodam connexas, unaque ex alia quasi fluentes: nos quoque eo modo has attributiones discutiemus. Principio auté occurrit bonitas, Deus nemini acceptam refert; cum ipse sit prima omnium causa, atque æterna natura. Hæc Deo non est aduentitia, quemadmodum rebus aliis contingit: sed est ipsamet natura diuina: cui bonitas tam intima est, ut eam facillimè exequetur. Quare et est infinita, et ab ipsa omnis priuatio arceri debet: cum priuatio, et naturæ impuritatem, et determinationem ostendat.

Bonitas diuinæ naturæ.

Nulla quoque re eget, quæ ad benè, beateque uiuendum requiratur. sed bonis omnibus affluit, quæ uitam possunt beatam efficere. Eandem immutabilitas est consecuta. Omnis nanque mutatio mortis quandam speciem retinet. cui, quæ subiecta sunt, mor si aliquo modo obnoxia esse dicuntur. Ab hac mens illa diuina soluta, atque libera est: exploratumq; habet, fore se semper in optima, æternaque uita. Verùm

tùm diuinæ bonitatis duæ sunt insignes proprietates. Altera est summi boni, quæ absolutissimum quẽdam requirit statum, aliunde nulla ratione pendentem. Altera boni, cuius propria est sui ipsius cõmunicatio, atque effusio. Deus autem in æternitate utranque hanc proprietatem habuit, exercuitque non solùm id, quod summi boni est: sed etiam id, quod ad bonum pertinet: cùm, et Filium genuerit, et cum Filio produxerit diuinum Spiritum. Relinquebatur adhuc locus suæ bonitatis effundendæ, qui multis partibus, et absoluto illi statui, et infinitæ illi communicationi cedebat. Quare in ipsa rerum creatione hunc bonitatis effectum exequi uoluit. Inde rerum omnium causæ, et initia ducuntur. Diuina igitur bonitas omniũ bonorũ est effectrix. Est quoq; illorũ exemplar, et idea. Nam bona, quæ sparsa cernimus, cũ in mundo, tũ in mundi partibus, omnia in ipsa cõcluduntur. sed dispari quadam ratione. Quæ.n.ita sunt, ut nullam labem includant, ea cumulatè, et plenè Deus coercet. Quæ uerò in mundo cernũtur, aut adumbrata, et diminuta, aut imperfectis quibusdam modis adiuncta: hæc omnia complectitur Deus in eminentia quadam excelsa.i.omnibus detractis uitiis plenè, perfectè, cumulatè; et modo quodam diuinæ congruenti naturæ. Hac itaque idea res omnes uariè participant, atq; ab ea tanquam à centro lineæ, et ab unitate numeri egrediuntur. Numeri nanque, et ab unitate oriuntur, et eadem uariè participata concrescunt. Lux quoque illi simillima est. Vna.n.est cælestis, primaque lux; à qua ita totus collucet mundus, ut eius partibus lumen impertiat, pro cuiusque

Bonitatis diuinæ proprietates.

Diuina Bonitas aliquo modo est rerũ omnium effectrix.

Diuina Bonitas, idea rerum omnium.

Comparatio diuinæ Bonitatis cum unitate, et luce.

captu, et natura. Ab hac non dissentiens diuina bonitas, tanquàm lux quædam ita mundo illuxit, ut eius aduentus tenebras omnes discuteret, atque tam uarias formas effingeret, quas huius totius orbis natura requirere uidebatur. Quocirca ineptè, et impiè facere illi mihi uidentur, qui dum indigentiam rerum aspicunt, opificis imminuunt probitatem. Etenim (inquiunt) si probus est mundi artifex: si nulla tenetur inuidia, cur non omnibus summam, aut saltem parem tribuit perfectionem? ut quodque suà sorte contentum sibi ipsi sufficeret, nec egeret aliquo ad suam naturam conseruandam, et sustinendam?

Verùm quod isti malum iudicāt, in maximum recidit bonum uniuersi. quo caruisset mundus, si omnia in se ipsis suas continerent perfectiones. Eximia nanque hæc rerum pulchritudo, et mundi ornatus: ordo item, atque connexio mundi partium: causarum fæcunda uis: superarum naturarum prouidentia: æqualium mutua illa consensio: inferiorum ad superna admirabilis conuersio: præclarissima, et præstantissima bona sunt. Hæc autem non nisi in quadam rerum disparitate, et indigentia conseruari possunt. Denique diuina bonitas extremum est bonorum omnium, quo omnia, quantum illis fas est, peruenire contendunt. Et quidem dissimili quadam ratione. Quæ enim mente, et ratione carent, cum se ipsa, suaque diligant, imaginem quandam diuinitatis amant, in qua diuinæ bonitatis uestigia relucent. Quæ uerò intelligentia prædita sunt, non solùm eam appetunt bonitatem: sed expeditius propensa quadam uoluntate rapiuntur in Deum.

Diuina Bonitas rerũ omnium finis extremus.

De

De infinitate Dei. Cap. V.

VETERES plerique Philosophi cũ de rerum principijs, et natura differerent, id, quod principium aliorum primum arbitrabantur, cùm infinitione quadam copulabant. quod intelligere non possent, quomodo ex illo innumerabiles rerum naturę ducerentur, si ipsum definitum, et quibusdam ueluti extremitatibus esset conclusum. Quocirca infinitum aerem Anaximenes, et Diogenes esse putarunt: Thales aquam: Anaximander mediam quandam naturam inter aerem, et aquam: Democritus, et infinitum inane, et innumerabiles atomos introduxit. Parmenides autem mentem quandam solutam, ac liberam ab omni concretione fatetur: eandemq; infinitam. Academici uerò, cùm primum rerum omnium effectorem Deum esse existiment; eundem aiunt, et immensam habere naturam, et uim obtinere infinitam. Hanc autem infinitatem, cùm de mundi disputant perfectione, tantum imminuunt, ut eam arctissimis finibus, et perangusto quodam gyro includant. Mundum aiũt suis numeris adeo expletum esse, ut absolutissimum sit simulachrum illius æterni exemplaris, quod eminentissimè in diuina continetur natura. Neque quicquam in eo inesse, quod à Deo huic rerum uniuersitati non sit impertitum. Cuius rei argumentum grauissimum diuinam dicunt esse bonitatem. Quæ cum omnem respuat inuidiam non est passa, Deum sese à re aliqua, quam gignere poterat, continere. sed il-

Veteres cũ primo principio infinitatem copularunt.

Academicorũ opinio de Dei infinitate.

lum

lum impulit, et ut hanc quæreret molitionem, et ut illam quantum fas erat, absolueret. Quibus uerbis diuina uis non parum attenuata, imminutaq; est. Nam si hæc rerum uniuersitas imago quædam est, quæ exquisitè referat omnia, quę efficere potest Deus: non erit uis illa, causaque gignendi infinita. Etenim si immensa est, quomodo perfectiora moliri non potest? Illud quoque hac in re ualde peccant, quòd cū Deum mundi faciunt procreatorem, eundem alios mundos gignere non posse dicunt. Quod, quid impediat non uideo: quamuis definitam illius potestatem statuamus. Sed de hoc alio differemus loco.

Sententia Peripateticorū de Dei infinitate.

Audiamus Aristot. et Peripateticos, qui ut solent diuina humanis metientes, primam illam æternam naturam, et innumerabiles rerum perfectiones coercere negant, et uim certam, et definitam illi ascribunt. Omnem quoque tollunt infinitatem ab iis rebus, quæ aliquo temporis spatio eodem statu manent in natura. Retinent autem in illis, quæ successione quadam fiunt, et destruuntur. Quare, et motum, qui antecessit, infinitum esse dicunt: et dies innumerabiles effluxisse. In re quoque perpetua, et continua inesse partium infinitatem quandam asserunt; quæ re ipsa non sit in natura: sed possit esse: quia infinitè diuidi res illa queat. unde in quouis tempore, motu, spatio, atque magnitudine innumeras partes inclusas esse aiunt; quæ explicari non possint, quoniam infinitæ sint. Deo quoque ascribunt quasdam infinitatis species. Primumque perpetuitatem, quam cum alijs mentibus communem habet. Hæc non in continuatione consistit: sed ad indiuiduum punctum

est

est collecta. eamque simul totam Deus habet: nec quemadmodum nostra ætas, cum tempore augescit, aut decrescit: sed firma, constans, atque immutabilis est. Æternitas autem neque infinitam efficit naturam, neque uim reddit immensam: sed perpetuitatem tantùm affert. Altera uerò infinitas, et ipsa diuinis mentibus communis, in difficultate qũadam posita cernitur: quam nos experimur, dum ingenij aciem intendimus, animosque defigimus in diuinam naturam. Sed hæc mihi potius obscuritas, et imbecillitas nostri ingenij quàm infinitas aliqua Dei uideri solet. Postremò eam Deo infinitatem ascribunt, quæ licèt omnes terminos non excellat: tamen tantum illius naturam, et uim extendit, ut reliqua omnia superet. illaque communi efficientia vniuersus quidam totius naturæ parens constituatur. Cælestes nanque mentes suis orbibus uoluendis occupatæ, intra terminos suorum corporum proprias cohibent uires, et actiones. Deus uerò quãuis *primo cælo (ut ipsi dicunt)* mouendo distineatur: uim tamen suam in omnia ita effundit, ut illa cuncta uertat, et causa sit, ut reliqua moueant quæcunque mouent. Eaque ratione, et eius uirtus permanat ad omnia; et cõmunitatem quandam assequitur in uniuerso. Sed quæ istis infinitas uidetur: potius est uirium quædam magnitudo, quæ certis terminis definitur. In proportione enim uim illã cum ipso cælo consistere dicunt, ut scilicet tanta sit, quanta requiritur ad repugnantiam eorum, quæ mouentur, superandam. Eam autem infinitatem, quæ omnem comparationem excedit, quæque omnem destruit proportio-

portionem inter Deum, et vniuersum tollunt omninò, atque non solùm Deo non congruere: sed et naturæ repugnare contendunt. Quæ sententia diligenter à nobis est explicanda. Principiò igitur nullam naturam agnoscunt Peripatetici à materia seiunctam, quam alicui orbi mouendo non affixerint. Cùm autem animaduertissent primam mentem amplissimo omnium corpori uoluendo incumbere, et cum illo inferiora omnia ciere: rati eam ingenti ui præditam esse, et primam causam, et formam, et finem huius totius vniuersi appellarunt. Hunc Deum nominant, eumque auctorem, effectoremque motus arbitrantur. Quæ sententia in primis ipsius Aristotelis est. Nec quemadmodum quidam aiunt, finẽ motionis Deum duntaxat esse uoluit; qui animam cæli conciret ad motum; ipse uerò nihil moueat omnino. In octauo enim naturalium auditionum libro, sententiam hanc fusè probat. quæcunque mouentur ex duabus constare partibus, quarum altera moueat, altera moueatur. quo iacto fundamento pergit ad cælestia corpora indaganda; in primisque primum: quod diuidit in partes duas: alteram motricem, qui Deus est: alteram, quæ moueatur. Ex his tota ratio sic concluditur. Hæc singularis sententia, Deus motor est primi orbis, ex ea communi uim habet: quæcunque mouentur ex duabus constant partibus, motore, et altera, quæ moueatur. At certum est partem illam motricem, quæ assumitur in communi illa sententia, non finem; sed auctorem, et effectorem motus declarare. Cur igitur, cùm illam de Deo enuntiat, in eodem sensu ab illo prolatam non dice-

dicemus? Sed cùm iam constet Deum uerè motum gignere, ad filum redeamus orationis. His igitur quæ diximus, et illa adiungunt; Deum necessitate quadam naturæ, atque summo uirium conatu, quamuis sine labore ullo molesto, et operoso, mouere mundum. Vnde ex motione, quæ Dei actio est nobis conspicua, magnitudinem uirium declarant. Aiunt conuersionem sui orbis cõficere Deum uiginti quatuor horarum spatio, et in eam motionem uires cunctas impendere. Inde non posse illam integram conuersionem absoluere angustiori tempore concludũt. Quocirca si esset natura aliqua, quæ duplam huius uim contineret; eam dicunt si totis uiribus niteretur, eundem orbem dimidio tempore uersaturam. Rursus si infinita uis adhiberetur, ea momento idem præstaret. Quod cùm non efficiat Deus, concludunt diuinam uim, atque naturam definitam esse. Eandemque in quadam proportione consistere, cùm primi orbis repugnantia, ut eam uix superet. Eam quoque potestatem tam exactè, et exquisitè perpendunt, vt affirment si unum uel minimum sidus primo orbi adiungatur, moram aliquam illi motioni esse allaturũ. Hæc illi de diuina ui philosophati sunt.

Quibus non solùm non assentimur: sed etiam uehementissimè repugnamus. Multa enim in hac de infiniti natura disputatione, et noua, et falsa commouere uidentur. Quædam liquidò affirmare, quæ tam incerta sunt, vt ab humano ingenio vix dirimi possint.

Disputatio contra Peripateticos pro Dei infinitate.

Quocirca infinitatem Dei primùm probemus. Mox ponamus in medium eas rationes, quæ hanc sententiã labefactare uidentur, ut, quæ nam sententia uera sit

iudicemus. Duo autem ſunt genera argumentorum, quæ fidem faciunt Dei infinitatis. Alterum leue eſt, quodq́ue ducitur ex operibus Dei. quorum cùm nullum in hac tota uniuerſitate cernamus infinitum; uix in huius ueritatis ſuſpicionem adducere nos poſſunt. Alterum grauius eſt, et efficax quodq́; certò rem demonſtrat, atque cum ex natura primæ cauſę: tum ex efficientia, modoq; efficiendi Dei ductum eſt.

Ab hoc igitur ſumamus exordium. Plerique in Lyceo nobiles probatiq́ue uiri aiunt, mundum ueram habuiſſe cauſam efficientem: ſed antiquiſſimam, et æternam. Hancq́ue fuiſſe Deum, à quo omnis mundus ex æternitate emanauit. Id negant alij, atq; ita eſſe mundum affirmant, ut nùllum unquam habuerit effectorem. Sed contra horum ſententiam multa diſputabimus in libro de vniuerſitate. Nunc illud ſumamus, quod, et multi concedunt, et nos aliquando demonſtrabimus: Deum eſſe mundi effectorem, atque illum de nihilo effeciſſe. Quo poſito illud neceſſariò ſequitur, Dei uim, et ſummam eſſe, et infinitam, quæq́ue omnem difficultatem, et impedimentum excellat. Quæ ſententia ita firmiſſimè concluditur. Ad effectum aliquem producendū tanta requiritur in efficiente cauſa poteſtas, quantus eſt receſſus, et diſtantia rei, quæ non eſt, ſed eſt futura à ſua natura, et eſſentia. Hæc ſententia, et ſi ex ſe ipſa ſatis aperta ſit; inde etiam non mediocriter confirmatur, quod Ariſtoteles ipſe ea uſus eſt ad infringēdam Dei infinitam uim. Ex proportione enim operum ſæpe colligit proportionem uirium.

Inter nihilum autem, et quancūque rem, quamuis perexi-

perexiguam, et perobſcuram; infinita intereſt intercapedo. intercapedo inquam non loci, aut temporis, ſed eſſentiæ, et naturæ. Nulla enim comparatio, nulla proportio inter hæc conſiſtere poteſt. At in quibus nulla ineſt ullius generis proportio, inter hæc eſt infinitum interuallum. Si igitur mundus de nihilo à Deo effectus eſt, infinitam uim adhibuit ad illum conſtruendum. Adhibere autem non poterat, niſi antea illam habuiſſet. Si autem hac ui infinita præditus eſt Deus, ipſius quoque natura infinita erit. Neque enim poteſt in re definita uis immenſa concludi. Verùm non me fugit multos; et rerum procreationem ex nihilo; et paritatem uirium in agente cum receſſu rei à ſua natura concedere: improbare tamen, et nonnunquam inficiari diſtantiam illam inter eſſe, et non eſſe, omnino eſſe infinitam. Nonnunquam uerò affirmare, etſi immenſa ſit: ſuperari tamen poſſe à poteſtate definita. Agam igitur, ut illi agebant. Quando duæ ſunt extremitates ſine medio coniunctæ, tanta eſt inter eas diſtantia, quantus eſt exceſſus unius ab altera. Res autem, et Nihil, duæ ſunt extremitates ſine medio aliquo, quod illas connectat. quarum altera, nempè Res, ſuperat quidem Nihilum, ſed definitè. determinatæ nanque ſunt res omnes productæ. Itaque abſceſſus ille non erit infinitus. Pergunt ijdem atque id ipſum de luce, et tenebris; de uero, et falſo confirmant. Intercapedo inter tenebras et lucem eſt immenſa. Lux nanque eſt præſtantiſſima cæli qualitas: tenebræ autem nihil ſunt omnino: tamen Solis appulſu euaneſcunt tenebræ, fit lux. Solis autem uis, licèt illum abſceſſum

tollat infinitum: non tamen ipsa est infinita.

Falsum quoque cùm distet à uero infinitè, ut fiat uerum, nõ requirit uim infinitam. Nam si dixerit aliquis me dormire, dum uigilo; falsa erit eius oratio: si uerò post dormiero, uera euadet. At ut dormiam non est opus immensa potestate. Quare illæ distantiæ non sunt immensæ: sed potius negationes quædam.

Verùm isti simulatè potius, quàm ex animo loqui mihi uidentur. Etenim distantia non iccircò est infinita; quia media sit aliqua immensa intercapedo, quæ infinitè arceat ambas extremitates: sed quoniam, aut utraque extremitas in suo genere est infinita; aut saltem altera. Vtraque, ut Deus, et Nihil. Ille enim innumeras coercet rerum perfectiones. Hoc autẽ infinitas negationes perfectionum est complexum. Altera autem duntaxat extremitas infinita est, si Nihil, ad rem aliquam procreatam comparetur. Nihil enim infinitum est, et infinito deficit interuallo à quacunque re determinata. Huius generis est ea distantia infinita, de qua suscepta est à nobis disputatio. Cùm itaque duæ sint extremitates; quarum altera est definita; nimirum Res: infinita altera, nempè Nihil: ex infinita extremitate colligenda est distantia, non ex definita. Cùm autem Nihil quacunque re determinata infinitè minus sit; interuallum ab eo colligendum illis erat; non à re procreata. Quæ uerò inducunt de luce, et tenebris; de uero, et falso, captiosa sunt, et commentitia. Neque enim inter has tenebras, quæ nunc ex opacitate terræ oriuntur, et lucem, immensum interest interuallum: quoniam adest aer, qui aptus est ad lumen suscipiendũ: sed inter illas,

quæ

quæ ante mundi generationem à nobis excogitantur. Has nullus cęlestis sol, nisi summus Deus illuminare potest. Eandem quoque comparationem efficere debebant inter uerum, et falsum nullo existente mundo. Agnoscerent profectò ad eam commutationem faciendam, definitam uim non fuisse satis. At postq̃ mundus effectus est, extiteruntq; res, facilis est illa cōmutatio: qm̃ intercapedo est determinata. Ex his efficitur creationem mũdi grauissimum, ualidissimũq; argumentum esse ad testandã Dei infinitatem. Cui, et illud, uel maximè suffragatur, et rem propè demonstrat. Nam si diuina natura est definita, quæro à quo nam Deus terminos, et limites accepit, à se an ab alio? si à se ipso respondeant; cur iidem se ipsum produxisse non dicant, non uideo. Determinatio enim fit ab effectore. Si uerò ab alio: ab alio quoque erit productus. De hoc iterum sciscitor, sit ne infinitus necne? si non est infinitus, erit determinatus; et productus: habebit igitur auctorem alium. Eoque modo, uel infinitè progrediemur, uel ad aliquod, qđ primum, immensumq; sit in natura, deueniemus. Cæterum ne effugere uideat rei difficultatem, nō me latet eos ad repugnantiam confugere; affirmareq; icċirco naturam diuinam esse circumscriptam, quoniã omni naturæ repugnat, et aduersatur infinitas. Quod cùm dicunt, in maiora absurda recidere uidentur. Eos enim rogo, cur, et infinitos dies effluxisse dicãt: et in tempore, in magnitudine continua, et in aliis multis ponant infinitatem? An quia illis effluxionis instar congruit infinitas? At neque à consistentibus naturis abhorret, si conuenit effluentibus. Repugnat

pugnat enim esse, aut fieri infinitum, quia nec dimẽsionis, nec numerationis capax est. At omnia, quæ sunt, aut extiterunt aliquando, possunt aliquo numero, aut mensura comprehendi. Quare hæc si quicquam ualent, euertent infinitatem effluentium perinde ac consistentium. Neutra nanque numeri, ac mensuræ capax est: quorum tñ capax est (ut aiunt) quicquid in lucem, actumque educitur. quòd enim prætereat, aut permaneat quid interest? Quare omnem repugnantiam, quam illi ostenderint in re consistenti, eandem ego in re quæ fluat inesse demonstrabo. Ex his concluditur summum, et præpotentem Deum omnem naturam, omnemque uim infinito excellere interuallo. Illumque non solùm infinitum esse: sed potius infinitatem ipsam. cùm non unum aliquod genus perfectionis concludat: sed innumera genera rerum una, simplicissimaque essentia comprehendat. Neque ex hoc illud sequitur, si Deus esset infinitus, cùm infinitum omnia ambiat, et nihil extra se esse patiatur, nihil rebus aliis loci relinqui. Nam ex iis, quæ in se ipso coercet Deus, quædam insunt secundum suas proprias notiones. et hæc propagari quidẽ possunt, plenè autẽ impertiri rebus aliis non possunt. Alia in sublimi quadam eminentia continentur. His non repugnat ut, et sint in Deo eminenter, et in mũdo in propriis naturis. Deus nanque est calida res, non quod in ipso sit calor aliquis, qui uel urat uel calefaciat: sed quoniam omnem perfectionem caloris in excellentia suæ naturæ comprehendit. Hæc autem excellentia rebus locũ aliquẽ relinquit ut sint: alio tamẽ modo: in propriis scilicet naturis atq; notionibus.

Deum

Deum unum esse. *Cap. VI.*

INFINITAS unum Deum naturæ præscripsit. Multitudinis enim origo est determinatio quædam naturæ communis. Quod uerò indeterminatum est, neque in plura diduci, neque propagari potest. Quare si diuina essentia in plures indiuiduas, singularesque naturas propagaretur, non esset infinita: sed determinata, et certis limitibus conclusa. Infinitas enim absorbet omnia, nihilque extra se patitur. Eandem diuini Numinis unitatem declarat etiam uoluntatis nostræ natura; cuius cupiditas ferè insatiabilis non potest, nisi à bono quodam immenso, et infinito expleri. Quocirca si plures essent Dii, cùm omnia concupiscat uoluntas, ab uno tantum satiari non poterit, quod uel maximè repugnans esse uidetur. Operum quoque sigularitas unam requirit singularemq; causam in suo genere. quæ prima sit, atque aliorum omnium origo. quòd si plures essent Dii, unus alterum non excelleret. Omnes igitur essent primi. quo quid repugnantius dici potest? Non solùm autem, qui infinitum Deum agnoscunt, eundem unũ esse fateri coguntur: sed ii etiam, qui diuinam definiunt naturam. Deus enim intelligitur esse uis quædam soluta, et libera, atque ab omni materiæ concretione aliena: omnia sentiens, et mouens, atque huius totius uniuersitatis rectrix, et administratrix. At omnis Principum multitudo mala, et periculosa est. ex ea enim et reipublicæ perturbatio, et omnis uitæ

Argumẽta quæ unum esse Deum ostendunt.

con-

confuſio ſequitur,et cunctorum ordinum euerſio extrema. Vnde, et Reſpublica tum optimè adminiſtratur, cùm unus eſt qui regnat, in quo uirtutes omnes imperatoriæ contineantur. Quare, et ipſemet Deus unum inſtituit uniuerſæ Eccleſiæ ſummum Pontificem, atque in eum tantam contulit poteſtatem, ut illum effecerit rerum diuinarum uerum, et ſummum interpretem. Eidem, dum diuina exponit decreta, ita aſſiſtit, ut nunquam à ueritate aberrare poſſit. Præter hunc quoniam alium, qui iis quas diximus animi uirtutibus præditus ſit, in terris inuenire hominibus nefas eſt: inde optima illa cenſetur Reſpublica, quæ à pluribus gubernetur. quorum uoluntates mutua quadam beneuolentia, et amore erga patriam ſint aſtrictæ. Cùm autem in Deo inſit, et ſumma ſapientia, et ſapientiſſimum conſilium, mundi adminiſtratio plures principes non requirebat. Aliunde quoque multitudo Deorum repugnat. Etenim cùm Deum dicimus, naturam quandam animo concipimus reliquis omnibus excellentiorem: cui nihil deſit, nihil aliunde, aut expetat, aut accerſat: ſed omnia in ſe ipſa contineat bona, quæ illam beatam facere poſſint. Si autem multi eſſent Dii, unus ab altero fœlicitatem mutuaretur. Viciſſim nanque, aut ſe intelligerent, aut ignorarent. ſi unus alterius fugeret cognitionem, quæ poteſt eſſe fœlicitas ſumma, cùm eadem ignorationi adiuncta ſit? ſinautem ſe inuicem intelligant: ſaltem partem aliquam beatitatis aliundè accipiunt. Non habebunt igitur ingeneratam fœlicitatem. Quomodo ergo Dii? Deinde multitudo ſingularium naturarum, uel maximum eſt cuiuſdam defi-

deficientiæ inditium. Perfectiones enim, quæ in una singulari continẽtur idea, certa quadam mẽsura cum rebus pro auctoris arbitrio communicantur. Inde quæ magis abscedunt ab Vno, eo etiam maiores defectus incurrunt. Deus autem cùm omnium uirtutum sit cumulatissimus, Vnum quoque esse oportet.

Vni etiam magis assimilis est, quàm multitudini; ab Vno nanque omnes numerorum species ducuntur, qui certa quadam proportione sibi uicissim adhærentes in quibusdam consistunt gradibus. Ex numeris rursus si sustuleris unitatem, è uestigio recident in nihilum: ipsa tamen unitas manebit. Ita Deus à nullo pendens, et se ipso est, et est causa omnium. Non solùm autem quia præstantissima hæc natura est rerum omnium causa, origoque prima, iccirco est singularis: sed etiam, quoniam in expetendorum genere extrema est, unam esse oportet. Quæ sententia à plerisque omnibus probatis philosophis retenta, acutè est comprobata. Etenim natura cuncta indiuidua, quæ *sub* una *specie* sunt comprehensa, ad eandem speciem, tanquam ad bonum direxisse uidetur. Formæ etiam ipsæ inter se consertæ, cõtextæque sunt, et præclarum quendam ordinem non operationum tantùm, aut uirium, sed naturarum sunt assequutæ. Igitur si finem aliquem sunt sortitæ, quod, et necessarium est, et perspicuum; oportet illum unum esse; ne si plures sint, in plura quoque distrahantur rerum affectus, atque uniuersi ordo diuellatur. Itaque cùm Deus sit, et summum, et extremum bonum, cuncta ad se permulcet, et allicit: indeque omnes rerum ordines uno consensu admirabiliter in ipsum conspirãt.

G Quæ

Quæ in unum finem consensio, et ordinem in uniuersum inducit, et conseruat. Nostræ quoque uoluntatis ad bonum propensio, unum finem ultimum quò omnia referantur exquirit, multitudinem uerò refugit. Nam si plures essent extremi fines, aut singuli omnes appeterent; aut omnes unum; aut denique alii alium. Singulos omnes expetere fieri non potest. id quod, et nos experimur. Vetus enim est illa amoris lex, ut plura eadem beneuolentia prosequi nõ possimus. Sed illa etiam contingent absurdiora si plura sint bona, eademque æqualia, quæ nos pariter alliciant. Primùm eorum nullum nos appetere non posse. quo appetitu sublato omnis tollitur è uita actio. Mox etiam si aliquem ex illis quis concupiscat, cùm trahat sua quemque uoluptas; alii alium optabunt finem: quem colent, et pro uiribus uenerabuntur. contraque omnes ut meliorem defendent. Inde distractio animorum primùm oritur: deinde religionis diuersitas: tum bella, cædes, rapinæ, ciuitatũ euersiones, denique omnis uitæ ingens perturbatio. Nihil enim magis humanos animos diuellit, quàm religionis uarietas. Nihilque est quod magis eos concilier, eorumque uoluntates arcta beneuolentia deuinciat, quàm una, eademque uera religio. Quod nos experimur. A summo nanq; nostræ religionis principe Deo ad pios homines cælestia quædam munera permanant, fides, gratia, iustitia. quæ maxima sunt præsidia uitæ, quæque nos unà in uno Christo coniungunt; et ad ueram ducunt fœlicitatem. Quod nõ contingit in iis gentibus; quæ licèt eandem habeant religionis communitatem; uel tamen fictos ueneran

Religionis uis.

tur

tur Deos; uel si uerum colant, suo arbitratu, et de Deo, et de cultu illi exhibendo statuunt. Constantem uerò, benéque constitutam religioné, quæ à Summo Romano Pontifice, et retinetur et defenditur, impiè respuunt, et perturbant. Quare cum plurimum à ueritate desciuerint, et ficta quadam, atque simulata pietate diuinam uenerentur naturam: omni cælesti ope destituuntur. Ex his efficitur unum duntaxat esse Deum; hocque firmissimis rationibus demonstrari. Qua in re Moses Aegyptius meritò reprehendendus est; qui fide solùm et opinione, non scientia aliqua, id posse constare affirmauit. Nam licèt ipsemet Deus, id de se ipso mortalibus testatus sit, ut nullo modo de re hac ambigi possit: rationes tamen quærimus, non propter certitudinem, sed propter euidentiam.

Quod Deus cunctis insit rebus. Cap. VII.

VBIQVE præsens Deus per uniuersum mundum inuetus est, ita rerum omniũ naturas peruadit, ut illis longè intimior sit, quàm res ipsæ sibi ipsis. Antequam enim mundus hic cõstructus esset, erat in se ipso Deus: infinitus in infinito. Nullus enim alius aderat locus, in quo subsederet, neque spatium, neque inane. Vbi uerò hanc rerum fabricam molitus est, non se ipsum effundendo, et quasi protendendo peruasit in omnia:

Deus ẽ ubiq;, ineſt in oĩbus, magisq; rebus intim' eſt, quàm res ſibi ipſis.

Qũo Deus ad omnia peruaſerit.

G 2 cum

cùm nec moueri nec mutari possit. Sed mundus ipse, naturæque omnes, quæ in mundo insunt, Deo adhæserunt; illique innixæ in eo inclusæ sunt. Cuius rei causa (ut diximus) est eadem infinitas diuinæ naturæ, quæ cum omnia impleat, nihil patitur extra se esse. Quare si innumerabiles mundi existerent, quales Epicurus confinxit; non in inani uagarentur, sed firmissimè ipsi Deo niterentur. Itaque etsi infinitas causæ sit, ut diuina natura sit ubique: huius tamen rei certissimum est argumentum, quod ducitur ex rerum conseruatione; et iis muneribus, quæ continenter à Deo fluunt ad mundum. Eius nanq; uoluntate, et præsentia res cunctæ sustinentur, et conseruantur. In ipso uiuimus, mouemur, et sumus. commodaq; quibus utimur, luce qua fruimur, animū quem spiramus, ab ipso nobis impartiri uidemus. Quòd si fieri posset, ut uel exigua intercapedine abscederent res à Deo, cuncta subitò ad nihilum relaberentur.

Cōseruatio Administratioq; mūdi maxime declarat Deū esse ubiq;.

Etenim cum conseruatio sit quædā Dei actio ad mundum permanās, hæc res attingere non posset, si minimum interesset interuallum inter Deum et mundum. Ea nanque est earum actionum natura, quæ ab effectore ad alium transeunt, ut utrunque simul esse requirat. Agere enim in distans aduersatur naturæ, figmentumque est nostri intellectus. Perindéque est, ac si diceremus aliquid agere, et non agere. Suscipi enim debet actio effectoris ab aliquo. quod si aberit, quomodo illam excipiet? Verùm hæc coniūctio, quæ inter Deum, et mundum ad agendum requiritur, nulli est ascribenda infirmitati diuini numinis, cuius uis, et infinita est, et immensa: sed rerum naturæ,

quæ

quæ (ut diximus) non patitur, ut aliqua actio pertinga t ad id, quod abest. Ex quo illud existit, magnitudinem uirium non ex eo concludendam esse, quod aliquid suam emittat uim in id, quod est remotum: sed id, quod operatur nullo adhibito instrumento aut materia, ualentius cæteris esse. Cùm igitur mundum omnem sustineri, et conseruari, atque pulcherrimè regi uideamus, necesse est Deum esse ubique, tranare omnia: cunctisque rebus adesse. Quamuis autem ubique sit Deus, et cuncta peruadat: peculiari tamen quadam ratione, in Templis, in Diuis, in Cælo, in Christo habitare dicitur. Etenim in Christo inest diuinissimo quodam modo, quo et hominem Deum facit, et Deum hominem. Templa uerò Dei domus sunt augustissimæ. quas habitare dicitur, quoniam in ijs illi exhibetur cultus, ibique adest Christus. Angelos autem, diuos omnes, atque pios homines incolit Deus: quoniam eorum mentibus insidet: ijsq; miris, uarijsque modis sese aperit. Inde iusti throni, idest *Dei sedes*, sunt appellati. Denique cælum domicilium Dei proprium esse dicitur, quia ibi præsentiam suam declarat.

Quomodo Deus et in Templis, & in cælo habitare dicatur.

De puritate diuinæ naturæ. Cap. VIII.

Diuina natura simplex.

DEI natura maximè simplex est; nec habet in se quicquam admixtum, aut dispar aut dissimile sui. Et licèt per omnia sit intenta, cunctisque insit rebus: non tamen cum illis implicatur, et copulatur. Infinitas nanque puritati amica, omnem respuit concretionem, et permixtionem. Id quod ex eo perspicuũ est, quod quicquid perfectionis definita res assequi potest, si eadem infinita, sit illas omnes simplicissimè unà contineret. Eas autem cùm habuerit, non potest amplius, neque crescere, neque cum alio concrescere. Si enim augeretur, non esset infinita: quia deesset id, quod illi postea accederet. Deinde si aliquo modo concreta esset diuina natura, nec esset prima, nec sine causa efficiente. Constaret nanque partibus aliquibus, quæ rem compositam antecedunt. Partes etiam antegreditur causa aliqua, quæ illas uicissim copulat. Partes nanque diuulsæ, et seiunctæ à toto, neque perfectæ omnino sunt, neque se ipsis conuenire in unum queunt. sed opus est efficiente aliqua ui, quæ eas in unam naturam constringat, et absoluat. Quòd si omnino in se ipsis essent expletæ, omnem refugerent copulationem, et conglutinationẽ. nulla enim coagmentatio fit, ex ijs, quæ omnino sunt absoluta. Quocirca ex diminutis partibus componeretur. Deinde, quæro, illæ partes, quæ adhibentur ad diuinæ naturæ compositionem, sint ne definitæ, an infinitæ. si determinatæ, quomodo ex ijs consurgat res infinita, intelligi

ligi non poteſt. ſi infinitæ ſunt, fiet coagmentatio aliqua ex infinitis. quod abhorret ab infinitate plurimũ. Eandem etiam Dei puritatem, ea cõcludit ratio; quòd nunquam ad extremum peruenire poſſemus, niſi uis aliqua ſit ſimplex omnino, atque pura. Omnia enim, quæ copulata ſunt, præſeferunt aliquam cauſam, quæ illa conglutinauerit. Quare ſi nihil ſit ſimplex in vniuerſo, infinitè progrediemur in rerum ordinibus, atque generibus. Cuncta ergo in quibus concretio aliqua ineſt, ad unum omnino ſimplex redigenda ſunt, quod illa copulauerit. ipſum uerò ſit ab omni concretione alienum. Perinde ac ſi obtuſi, acutiq; anguli; qui ſemper, uel obtuſi, uel acuti manent, quouſque ad rectum aliquem angulum, et ſimplicem peruentum fuerit. Itaque ſimpliciſſima eſt diuina ſubſtantia, et pura; quoniam ea omnia re ipſa continet, quæ uniuerſæ naturæ congruere poſſunt. Aliæ uerò res omnes, uel ex pluribus perfectionibus concreſcunt, uel ſaltem ex priuatione, et perfectione. Quemadmodum in *Angelis* contingit. quorũ naturæ, etſi ex plurib. non conſtent partibus, eoq; modo ſimplices eſſe cernantur: tamen cùm non omnes perfectiones habeant, quas natura habere poteſt, ex indigẽtia, et perfectione, ſiue (ut loquuntur) ex eo quod poteſtate, et ex eo quod actu eſt, componuntur. Indeque et determinantur in certo cuiuſdã naturæ genere. participant enim perfectione aliqua: reliquis uerò carẽt. Cùm autem omnia à Deo emanarint; illa propius ad diuinam uim accedere uidentur, quæ ampliorem perfectionem ſortitæ, priuationem illam perfectionis imminuunt. quæ cauſa eſt omnis concretionis.

De

De immutabilitate, & æternitate. *Cap. IX.*

DIVINÆ naturæ infinitatem, et puritatem immutabilitas, et stabilitas consecuta est. Quod enim mouetur, aut immutatur, partim manet id quod est; partim transit in aliud. quod est proprium rerum concretarum. quæ cùm ex uarijs naturis copulatæ sint, in diuersas trahuntur, ac distrahuntur. Simplex autem, infinitaque substantia, et firma est, et stabilis, et immutabilis. per uniuersum enim mundum permeat, et ubi nec mundus, nec locus est, ibi etiam adest. est enim in se ipsa. Quare cùm ubique sit, ad nullum commigrabit locum. Et, quia nihil dissonum, nihil dissentiens in ipsa reperitur: nec mutabitur unquam, nec distrahetur. Quod enim idem omnino sibi ipsi, semperque est; quomodo se ipsum deferet? Ex quo, et uera immortalitas illi est. quæ amica firmitati, et stabilitati omnem refugit mutationem. quare omnis motio atque mutatio, cùm priuationem quandam, atque indigentiam præseferat, imaginem quoque aliquam mortis retinet. Res etiam, quæ à motu, et mutatione magis sunt alienæ, eò et simpliciores sunt, et præstantiores. Quamuis autem uerus motus diuinæ naturæ non conueniat: congruit tamen illi quædam motionis similitudo, eademque circularis. Incitari enim in circulum uidetur, cùm primùm à se ipso Deus ad res progignendas quodammodo exit.

Qui motus conueniat Deo.

easque

easque iterum incredibili amore in se ipsum, tãquam in finem conuertendo, circulum quem inceperat, absoluit. Denique, etsi ipse immutabilis sit, atque immobilis; uim tamen habet, atq; causam mouendi. Deus omnia mouet.

Stabilisq; manens dat cuncta moueri.

Quod enim causa est omnium motionum, cum immutabile, tum immobile esse oportet. Immutabilitatem consequitur æternitas. Quæ nihil est aliud, nisi rei continuatio constans, atque uniusmodi in natura; quæ nec determinata est, nec definiri ulla ratione potest. Principio caret, et fine. Expersque partium, atque ad punctum indiuiduum redacta. Aeternitas.

Cuncta hæc immutabilitati accepta referenda sunt. Quoniam enim Deus est uniusmodi, semper est; nullamque subit uarietatem. Eadem immutabilitas est in causa, quòd natura diuina æterna sit. Æternitas igitur diuinæ solùm congruit naturæ. ab alijs dissentit plurimum. Nihil enim est (Deum excipio) quin ab aliquo temporis principio ortum habuerit. quodque tempus aliquo modo non metiatur. Nihil autem interest inter Deum, et æternitatem, nisi id quod humana mens internoscit. Est enim (ut dixi) essentia ipsa diuina in puncto consistens, eoque modo in natura sine aliqua effluxione continuata. Huius imago, uel potius umbra tempus est. Nam nec exæquat totam æternitatem: cùm principium sit sortitum; neque permanet, aut consistit in puncto: sed uicissitudine quadam continenter effluit, et reparatur. Æternitas tota simul cohæret. Tempus in annos, menses, dies, horasque diducitur. In illo solùm æter-

nitatem imitatur; quòd ipſum etiam eſt continuatio quædam in natura.

De intellectione Dei. Cap. X.

Diuina uis, cur intelligens.

INTELLIGENTIAM optimam uitam eſſe: eandemq; puritatem naturæ conſequi, plerique omnes conſentiunt Philoſophi. Etenim res illæ, quæ ex materia expreſſæ eidem ſunt infixæ, ſenſibus quidem prædi-tæ eſſe poſſunt: intelligente autem ui, quod excellentior ſit; certè carebunt. Inter ipſas quoque ſentiendi uires uidemus eas acrius, et præclarius cognoſcere, quæ à materia longius abſcedunt. quæ uerò depreſſiores ſunt, uix ſentire. Deus autem cùm eminentiſſima omnium natura ſit, et uis ab omni impuritate remota, exquiſitiſſimè intelliget. Eius autem infinitas cauſa erit, ut innumerabilia cognoſcat. atque ea non ſolùm, quæ fuere, quæ ſunt, quæq; futura ſunt: ſed infinita alia, quæ ab ipſo effici quidem poſſunt: fient tamen nunquam. Illud primùm quod nemo negat ponamus in medium. Deum, et intelligentem eſſe, et ſe ipſum ſua propria natura percipere, atque comprehendere. ita ut inter ipſam ſubſtantiam, quæ intelligitur, intelligendi uim, atque intellectionem, nihil interſit omnino. Quod illius ſimpliciſſima, puraque natura apertiſſimè declarat. Nam ſi intelligẽdi uis aliquo modo à natura, quæ intelligitur, et ab intelligentia diſtingueretur: nec ſimplex eſſet Deus, nec purus. Primum nanque eſſet quædam concretio, ex

Deus quomodo ſe ipſum intelligat.

natura, et intellectu, et intelligentia. Mox natura, ab intellectu perfectionem acciperet. Intellectus uerò ab intelligentia. Omnes enim uires sunt perfectiones naturarum. Eædemque uires à proprijs munerum functionib. perficiuntur. Nullũ ergo adhibet instrumentum Deus, neq; speciem, neq; habitum ad suam intuendam naturã. Nam, et sibi ipsi adest, præsentissimusq; est. natura quoq; purgatissima, et vt intelligatur maximè apta, atq; idonea. Nullum adest impedimentum, nullusq; obex. et deniq; cum ipse sibi par sit, se ipsum ẽt comprehendit. idq; vno præstat aspectu, eoq; infinito. Vires nanq; si nihil impediat, nihilq; obsit pares produnt actiones. Intelligendi autẽ uis immensa est, et infinita. Itaque infinita sunt, quæ Deus intelligit: infinita intelligendi uis: infinita intelligentia. atque cuncta hæc una natura diuina infinita.

Verùm cùm non defuerint, qui et hanc diuinæ cognitionis amplitudinem labefactarint: diligenter, et accuratè eorum sententiæ sunt nobis inspiciendæ. eorumque *rationibus*, quoniam et falsæ, et iniquæ sunt, uehementer obsistendum. ut in posterum abstineant ab hac peruersa contra Deum disputandi consuetudine. discantque alii, non tam philosophorum auctoritates, quàm rationum momenta æstimanda, amplectendaque esse. Peripatetici itaque, contra quos tota hæc disputatio à nobis suscipitur; aiunt non cognoscere omnia Deum: sed quædam intelligere; ignorare alia. Quæ autem sint ea, quæ diuinam fugiunt cognitionem; quæque à Deo intelligãtur, dissentiunt ferè omnes. Plerique dicunt se solum intelligere, suaque cognoscere. alia uerò in eminentia perspicere.

Peripateticorum sententia de Diuina intellectione.

Multi diuinam producunt cognitionem ad species rerum omnium. Reliqui his nectunt cœlum, cœlestesque mentes, et ea omnia quæ fiunt in cœlo: motiones, orbium conuersiones, siderumque aspectus, uarios Solis, itemque Lunæ defectiones. Omnes uerò singularia omnia, eorumque actiones à Dei excipiunt intelligentia. Nos autem, ne multum temporis conteramus in refellendis, confutandisque tot cõmentitiis sententiis: ita cùm primis differemus; ut res tota etiam cum aliis confecta uideatur. Aiunt itaque isti: Deum se ipsum solum uerè, clareque cernere et intueri. reliqua uerò cognoscere in eminentia. Hanc autem eminentiam distingunt, simul atque declarant. Eminentiam primùm illam appellant, quæ refert quidem res ipsas, at non eo modo quo sunt in rerum natura: sed altero, quo in re aliqua sublimius continentur. Quæ eminens intellectio, et cognitio est, et scientia præstantissima. Alteram uerò (aiunt) eminentiam esse, quæ nullo modo res illas præsefert: sed rem aliquam præstantiorem obiicit, quam qui cognoscit, inferiores omnes naturas, et si in illa non insint, percipere dicitur. Quemadmodum qui aurum possidet, habere argentum dicimus. non quòd in auro insit argentum: sed quòd, hoc illo præstantius sit. Deum sic dicunt uerè cognoscere se ipsum. reliqua in eminentia: quia suam naturam, quæ prima nobilissimaque omnium est, intelligentia assequitur. Eaque ratione reliqua omnia comprehendere: non quòd illa, uel earum uires, et perfectiones in se ipso contineat; quæ uera eminentia est; sed eo ipso solùm quod illas nobilitate multis partibus excellat. Verùm

hæc eminēs cognitio summa ignoratio mihi uidetur. Quod et ipsi fatentur. Contendunt nanque Deum tam ea, quæ non efficit, quàm quæ extra se præstat, gnorare. Atque necessitate quadam naturæ compulsum eas, quas extra se prodit actiones, nec animaduertere, nec intueri. Quemadmodum opacum corpus; quod, et umbram gignit, et eam nullo modo perspicit. Etenim inquiunt; si Deus, et mundum, et ea, quæ sunt in mundo animaduerteret: ex iis illi accederet intelligentia. Intelligi autem nihil potest, nisi id, quod intelligitur moueat, pulsetque intelligendi uim: atque in illa effingat, imprimatque speciem aliquam sui, quæ ipsum referat. Pulsaretur ergo primùm diuina Mens à rebus externis; indeque intelligentiam consequeretur. At si perfectus Deus, immutabilisque est, nec moueri ab alio poterit, nec aliundè aliquam assequi perfectionem.

Deinde quomodo simplex erit, si id, quod intelligit, ab ipso diuulsum, seiunctumque est? Non erit ergo idem *uis intelligens*, et id, quod intelligitur.

Multa quoque sunt in mundo mala, eademque, et obscæna, et turpia, quæ et ad intelligendum molesta, et iniucunda sunt. Cur igitur eorum cognitionem tribuemus Deo? Hæc, et multa alia commouent, quæ hoc loco prætermittenda uidentur, quòd nefaria dictu sint, cum aduersus Deum sint disputata. Ea, quæ attulimus, grauiora uidentur, et quæ multum negotii quibusdam facessant. Ea expendamus, illamque ineamus dicēdi rationem. Deum omnia, quæ sunt, quæ fuere, quæque futura sunt, atque innumera alia, quæ nunquam erunt, et exquisitissimè, *Disputatio contra Peripateticos.*

mè, euidentiſſimeque intueri, lux ipſa rationis, tam apertè teſtatur, ut qui de hac re ambigat, idem dubitare poſſit, ſit ne Deus, necnè ſit. Primùm itaque quæro de Peripateticis, cùm Deus ſupremum moueat cœlum (ut ipſi dicunt) motusque ille attingat omnia, quæro inquam, utrum animaduertat ſeſe mouere mundum, an id non uideat omnino. Si agnoſcit, quid agat, cognoſcet etiam ea, ad quæ pertingit illa ſua actio aliquo ſaltem modo. Repugnat enim aduerſaturque rationi, intelligere actionem aliquam, quin, et id, quod per eam agitur, et quod ab ea patitur intelligatur. Sin autem ſuas actiones ignorare dicant: exponant etiam quid intelligentiam impediat, quid intellectum auertat. Adeſt enim Deus, et ſibi, ſuisque actionibus præſens eſt. Vis quoque intelligendi acerrima omnium ad cuncta peruadere poteſt.

Aut enim hæc contemnet Deus. Sed ſi illorum cognitionem deſpicit, quomodo ea præſtat? Omnis nanque natura, et ſui diligens eſt, et ſua omnia amat opera. Aut mentem non adhibet. Id quoque intelligi non poteſt, ut quis animum non defigat in rem aliquam, quam producit. Aut denique quia cœlum, et cœli motiones, nec mouent, nec pulſant diuinam mentem, nihilque ſui ſimile effingunt in illa. Sed ſciſcitor, cùm Deus moueat cœlum, quia uult (ſiue ea uoluntas ſoluta, et libera ſit, ſiue neceſſitate aliqua naturæ aſtringatur) quomodo optat mouere, niſi præcurrat aliqua intelligentia boni. Illas rogo conuerſiones, quæ nec ſunt, nec mouent Deum, quomodo deſiderare poteſt, niſi antea cognoſcantur ab ipſo? Cur illo inſtanti, quo mouere uult,

ante-

antequam moueat, conuersionem illam mente non reuoluet? Nulla enim inest alia appetitio in Deo, nisi ea, quæ uoluntas dicitur. Hæc autem semper subsequitur intelligentiam, ut pes oculum. Itaque si hæc cognoscit Deus, reliqua, quæ ab istis pendent, non ignorabit. Deinde diuina natura cùm prima, infinitaque sit, omnia in se ipsa simplicissimè, atque in uera eminentia complectitur. quomodo igitur ea nõ cognoscet, si se ipsam perspicuè cernit, atque intuetur? Non solùm autem in eminentia res omnes cognoscit Deus, sed etiam eas cõprehendit eo modo, quo sunt in natura. ut nihil sit quòd infinitam illius effugiat intelligentiam. Id autem quomodo fiat dicemus postea. Redeamus ad peripateticos, qui cùm affirment humanam mentem rerum omniũ scientiam nancisci posse; illud etiam concedere coguntur Deum in æternitate omnium cognitionem assequutum esse. Quod enim res definita consequi potest, in natura infinita re ipsa iam est. Deniq; si Deus uniuersum hũc mundum in lucem prodidit, quod, et eorum multi concedunt, et nos cõtra alios postea demonstrabimus: et rursus si idem mundum mouet, quod nemo ferè negat, utrumque necessariò cognoscet. Nanque si hæc efficit, poterat certè illa præstare. Continentur ergo hæc omnia in diuina potestate. Vis autem diuina in Deo inest; imò est ipsemet Deus. itaque si Deus se ipsum comprehendit, suam etiam potestatem percipiet, sed quomodo uim suam omnino cognoscat, nisi ea omnia comprehendat ad quæ uis illa ualet intelligi non potest.
Rursus cum Deus infinitas coerceat perfectiones,

quarum

quarum aliæ communicari possunt, aliæ autem non possunt, profectò eas internoscet Deus, et unà modũ uidebit, quo possunt impartiri. At hoc nihil aliud est, quàm cognoscere res ipsas, quæ sunt in natura. Ordo quoque huius totius mundi, mundique partium, cum nec à casu profectus sit, sed à ui aliqua diuina, et intelligente, quomodo constitui inter res ipsas poterit, nisi illæ antea exquisitissimè perspiciantur? Ordinem enim proportio quædam antecedit, quæ inest in rebus: quaque rerum naturæ procliues sunt ad conueniendum. qua proportione cognita, connectuntur deinde, colligunturque simul à Mente diuina. Necesse igitur est eam optimè rerum naturas tenere, et propensiones, si rectum ordinem constituere uult. Ex his efficitur Deum non solùm se ipsum, sed omnia illa, quæ sunt, quæque esse possunt, penitus intelligere; ut nihil omnino sit in mũdo tam occultum, atque abditum, nihil tam exiguum, atque tenue, quod diuinam fugiat intelligentiam. Quapropter, et rerum omnium naturas, et uires, et actiones, siue eæ iam præterierint, siue nunc instent, siue in posterum futuræ sunt, exquisitè cernit, et uidet.

Cogitata item omnium, secretioresque animi uolutationes, et motus, qui in nostra positi sunt potestate. Mala denique ipsa concludit eius infinita intelligentia. Restat ut modum consideremus, quo Deus hæc cognoscit. Nulla enim res est in mundo, quæ aut mouere possit diuinum intellectum: aut aliquid sui simile in eo effingere, in cuius similitudine cernat Deus, et mundum, et omnia ea, quæ in mundo continentur. Hoc negant peripatetici, et ab

Quõ Deus hoc totum uniuersum eiusq; partes cognoscit.

eo nos

eo nos quoque uehementer abhorremus: cum ob incommoda, quæ iam attulimus; tum ob alia multa, quæ à nobis consultò sunt prætermissa. Nihil itaq; obiicitur diuinæ Menti, nihilque illam aut mouere, aut pulsare potest; nisi ipsamet substantia Dei. Quæ cùm infinita sit, et uim mouet (ut ita dicam) intelligendi, atque illam implet, et perficit. Ea autem obiecta uno, simplicissimoque aspectu Deus se ipsum comprehendit: et suas omnes (quæ innumeræ sunt) uidet perfectiones. Ex his aliquas, eas scilicet, quæ impertiri aliis pôt, in innumerabiles distinguit ideas. Id autem præstat tali quodam modo: Occurrit primùm (ita nobis loqui liceat de rebus diuinis. non.n. me fugit nihil in Deo antecedere, nihilque subsequi, sed omnia unum esse; sed quæ non possumus uno cō prehendere obtutu, illa minutius cōcidere nos oportet, atque diducere: modo tamen cogruenti naturæ, qui nec falsum gignat, nec nos decipiat.) principiò inquam, occurrit diuinæ Menti immensa ipsius natura, quæ innumerabiles infinitasque illi obiicit perfectiones, quas continet. eas autem omnes uno aspectu uis illa cognoscit. Harum cum aliæ ad imitandum aptæ, idoneæque sint, alias uerò communicari repugnet: has Deus deinde internoscit, animaduertit que infinitatem, æternitatemque, procreandi uim, immutabilitatem, ita primæ causæ proprias esse, ut nulla ratione illas cum aliis communicare possit. Sapientiam uerò, bonitatem, cognitionem, amorem, imitabiles esse perfectiones. In ea itaque distinctione quando refert Deus has, quas diximus perfectiones, ad res, quæ illis participare possunt, cernitur quædā

umbra, atque inchoatio idearum, quæ tamen nondũ absolutæ sunt. Nam cùm perfectiones illas, quas idearum inchoationes appellamus, res ipsæ plenè nõ imitentur. (illæ enim infinitæ sunt: hæc uerò definitæ: illæ eminentissimè, et simplicissimè continentur in Deo: hæ autem, et ab illa eminentia abscedunt longius, et quandam subeunt concrecionem) non possunt esse ueræ, propriæque rerum ideæ. Idea enim siue speciem, siue rationem, siue exemplar, uel quocunque alio uocabulo eã nominemus, summam exquisitamque similitudinem cum simulachro, quod illam imitatur, exposcit. quæ similitudo cùm inter naturas productas, et diuinas perfectiones non cernatur, nec istæ rectè imagines illarum dicuntur, neque illæ perfectæ erunt ideæ. Quamuis autem res à diuinis perfectionibus ducantur, indeque quandam cum Deo contrahant similitudinem: tanta tamen est huic imitationi coniuncta disparitas, ut eas simulent potius, quàm exprimant, aut exequantur. Itaque hæ perfectiones, quæ in natura insunt diuina, non sunt ideæ rerum productarum, sed idearum inchoationes quædam, ut diximus antea. Tertio loco Mens diuina, vt eas perficiat inchoationes, cognoscit modum, quo illæ omnes perfectiones imperiri possunt. Modum hunc exquisitè assequitur contemplando uim suam procreatricem. In cuius aspectu uidet res omnes, ad quas uis illa ualet. simulque cognoscit, atque internoscit omnes gradus atque modos, quibus perfectiones illæ communicari queũt.

Idea quid sit, et ubi. Itaque nihil aliud est idea, nisi exemplar rei in ui procreatrice à mente diuina perspectum, quod exactè, et

exqui-

exquisitè, adamussim, et (ut ita loquar) exemplariter omnia refert, quæ in imagine, vel simulachro continentur. Hæc autem exemplaria, cùm infinita sint, omnia distinctissimè percurrit Deus: ita ut cuncta cōcidat minutissimè, nihilque illius subterfugiat cognitionem, cùm nihil quoque sit, quod à ui illa effici non possit. Quare, dum distinguit diuina Mens infinitam illam uim procreatricem, illiusque diuersos gradus ad proprias imagines refert: innumerabilium refulgent rerum ideæ. quæ nullo modo à ui illa distinguuntur. quocirca nulla erit dissimilitudo inter ideam, et rem, quæ idea participat. sed res est ideæ perfecta absolutaque imago in natura. Idea uerò exquisitum exemplar in Dei ui procreatrice. hoc Theologi esse reale, illud esse cognitum appellant. Itaque idea est forma, quæ extra rem existit, ad cuius similitudinem uis efficiens, quæ intellectu utitur, semper exprimit effectum. Cæterùm cùm ea, quæ Dei uis procreatrix efficere possit, innumera sint, quorum alia Deus procreare, alia uerò nunquam gignere destinauit: cognitio illa, quà Deus hæc omnia assequitur, Simplex à Theologis nuncupatur. Intelligentia autem eorum, quæ Deus procreare decreuit: Visio ab ijsdem dici solet; quòd ea propriè uideri à nobis dicantur, quæ extra nos cernuntur. Hanc uisionem anteuertit approbatio quædam diuinæ uolūtatis, qua Deus probat omnia, quæ facit. Culpa uerò, atque scelera non approbantur à Deo, sed cognoscuntur tantùm, et exploduntur, tanquam à bonitate discrepantia. Ex quo existit illud apud Prophetam, *Mundi sunt oculi tui ne uideant malum, & ad iniqui-*

tatem respicere non poteris.

Ipseque Dominus improbos alloquens nescit eos. Hic est Mundus ille inuisibilis, quem Deus in æternitate mente gerebat, aptissimè, et mira uarietate contextus, quemq; intuitus est, quando spectabilem hūc effecit. Hanc enim fabricam non temerè, non casu molitus est: sed summa sapientia, atq; consilio ædificauit. Perspexit nāque Deus non solùm species illas ęternas, sed et comparationes, et proportiones mutuas: easq; imitatus, hāc quam uidemus uniuersitatem expressit.

Hunc oculis cernimus, et intelligente ui. Illum non nisi mente intuemur, eaque cælesti rore aspersa, atque purgata. Hæ ueræ sunt ideæ ex potestate, menteque diuina existentes. quæ Mens non est seiuncta ab ipso Deo, ut comminiscitur Plato; sed ipsa est natura diuina. His itaque modis Deus res cunctas cognoscit, quoniam ipsorum est effector, et auctor.

Quomodo De' cognoscat mala.

Sequitur abstrusa illa quæstio de malo, quomodo percipi à Deo possit. Etenim cùm malum duplex sit; alterum, quod antegreditur, culpaque dicitur, atque improbitas: alterum, quod subsequitur, et pœna nominatur: certum est hoc malorum genus posterius, et fieri, et cognosci ab ipso Deo.

Nullum enim est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.

De improbitate autem, et culpa, utrum sit aliquid ex ijs, quæ sunt, et quę sint causæ efficiētes mali, perobscura, et perdifficilis quęstio est: quęq; ad aliū locum pertinere uidetur. Nunc.n. solùm illud inquirimus, quonā modo à Deo cognoscātur culpę. Cognosci satis apertè testatur diuinę intelligentię infinitudo. Deus nāq; (ut

antea diximus) uniuerſum mundum, eiusque partes penitus cognitum, comprehenſumque habet. earundemque uarios ordines, conſerſiones, colligationes, ortus, atque his contrarios interitus, atque à recto deflexiones. quæ omnia etiam ſi in pœnas hominib. infligerentur, ſunt tamen rerum quædam culpæ. Nam etſi rerum interitus animantibus, ut pœnæ ſint inflictæ: tamen et illæ quædam ſunt culpæ, improbitatesque naturæ. Decedere quoque ab ordine, atque à propriis ſedibus reſilire, peccata ſunt ipſius naturæ. Quæ cùm à diuina prouidentia corrigantur, neceſſe eſt illa ab eadem cognoſci. Errores etiam, hominumque tam uariæ improbitates, non poſſunt à diuina iuſtitia ſupplicijs uindicari, niſi Deus perſpexerit antea peccati magnitudinem, et grauitatem. Deus igitur primum culpas intuetur. mox ipſas ulciſcitur iuſtitia uindex. Ex his conſtat mala omnia à Deo uideri. At modus et ignotus eſt, et obſcurus. Illum itaque ſic inquiramus.

Deum neque malorum auctorem, aut effectorem facimus: neque illa dicimus in ſua natura concludi. Summa enim et infinita bonitas omnem reſpuit improbitatem, omnem abhorret vitioſitatem. ſed diuerſa quadam ratione, ac alia intelligat, percipit mala. mala nanque non quemadmodum alia ſunt natura: ſed ex numero eorum cenſentur, quæ non ſunt. Inde malum rectè à D. Dionyſio Areopagita definitur priuationem boni, ideſt rei. Neque enim eſt res: ſed defectus ſolùm à recto ordine, rectaq; ratione. quare cùm ab eo, quod recta monſtrat ratio, recedimus, et in peccata labimur, et mala perpetramus.

Et

Et quo longius aut à bono, aut à maiori bono dilabimur, eò etiam grauiora sunt delicta. Hæ defectiones cùm boni priuationes sint, nullo alio modo, aut intelligi possunt: nisi in contrarijs habitibus internoscantur, et perspiciantur. Cæcitas nanque nullo alio modo à surditate differt; nisi quia uisus ab auditu distinguitur. Verùm non omnes habitus nobis referũt priuationes; sed proprij solùm, atque particulares. Communis nanque particularem errorem non ostendit. Vt si quis multis uirtutibus præditus sit, non ijs omnibus errorem in musica animaduertet: sed canendi arte; si in eo genere fuerit exercitatus. Bonum itaque est quædam norma, malorum index. Quam normam mente concipimus, quotiescunque mala uolumus diiudicare. Nullaque alia ratione malum concipere possumus, nisi speciem aliquam boni excogitemus, quæ cum ipso malo implicari uidetur. Sed si eam excipiamus, malique solam relinquamus notionem, nihil aliud nobis apparebit, nisi defectio quędam, et declinatio à norma boni. Quocirca idea mali non inest in Deo. Idea nanque idem omnino est cum ipsa natura diuina, et bonitate. solùmque illa refert, cum quibus diuina communicatur substantia. Malum autem cum nihil sit, nullo modo participat diuina natura. imò est illius amotio, atque priuatio. Internoscit itaque Deus mala, quoniam omnia cernit bona; ad quæ omnes omnium actiones tanquam ad normam comparando distinguit, et à quo deflectant bono: et quantum ab illo discedat intuetur.

An Deus cognoscat futura, quę dubii sunt euentus.

Restat, ut ea, quæ in posterũ futura dubij, ancipitisq; sunt euentus, an perspiciantur à Deo, et quonam modo

do

do cernantur, disquiramus. Quæ res tantis est obstructa difficultatibus, ut negare ausi sint quidam hæc à Deo certò cognosci, aut prænuntiari non posse. Nam cùm multa, quæ in posterum fient, uaria et ambigua sint, si à Deo ut certa, atque constantia comprehendantur, non ut sunt, sed ut non sunt perciperentur. Quocirca in falsum incurret Deus, si futura intelligit. Quæ sententia graues incurrit reprehensiones. Nam si seipsum, suamque uim comprehendit Deus, sanè omnia illa opera cognoscet, quæ effecturus est. Omnium autem rerum euētus, cum ex diuina potestate, tum ex hominum uoluntate ducuntur. si itaq; intelligit ea, quæ potest efficere, quæque producere uult, quomodo illa ignorabit, quæ in posterum sunt euentura? Quod si hæc perfectè assequitur, nulla quoque eorum actio non erit perspecta Deo. Omnes itaque actiones, quæ sunt futuræ, et earum exitus diuinæ intelligentiæ sunt perspicui et aperti. Quapropter Propheta Deum appellat *reconditorum inspectorem*. qui omnia nouerit antequam efficiantur. At de modo quo id fiat, multa dicuntur. Sunt qui omne tempus in tam multos annos productum, et explicatum colligant, æternitatique adiungant. Non solùm autem annos, menses, dies, horas, atque momenta cogunt in unum; sed omnium rerum ortus, continuationes, operationes, casus, euentus, et denique omnia, quæ in totum tempus fusa, dispersaque sunt, sub uno ponunt aspectu. Illam uero extensi temporis collectionem, et æternitati adiunctionem, coexistentiam appellant tēporis cum æternitate. Inde concludunt ea, quæ longissimis

Quō Deus futura cognoscat.

gissimis temporum interuallis disiuncta sunt, et simul esse in puncto indiuiduo, et hæc eadem præsentia in æternitate fuisse diuinæ Menti, eoque modo affirmãt, cuncta uno aspectu comprehendi à Deo. Huius autem sententiæ eam adducunt rationem, quòd æternitas sua immutabili continuatione omne contineat tempus; præteritum, instans, et consequens: Inde et tempus, et omnia, quæ sunt in tempore, simul coniuncta esse cum æternitate. Verùm intelligere non possum quomodo res, quæ non nisi in tempore extiterunt, ante tempus, imò in ipsa æternitate Deo fuerint præsentia, cum ne fuerint quidem. Tempus quoque cum continenter fiat, et occidat, quomodo totum potest in puncto indiuiduo consistere? Quod si etiam permanere concedamus, quomodo tempora, quæ immensis interuallis disiunguntur, simul poterunt copulari, atque connecti? Denique si etiam copularentur atque unà res ipsæ, quæ diuersis temporibus inciderunt, quomodo illa Deus spectabit? neque enim res, aut intelligentem uim illam mouere poterunt, aut quidquam imprimere sui simile, quod cognoscatur à Deo? At si nihil ex rebus in Deum incurrit, quomodo ista cognoscet extra suam naturam? tempus autem fateor cohærere omni æternitati. Aeternitas enim momentum quoddam est, et instans indiuiduum, partiumque expers. Ab æterno tamen non cohæsit illi tempus, quoniam nec extitit. quare nec potuit obiicere diuinæ menti, quæ in ipso sunt effecta. Illud itaque certum est, Deum, quæ futura sunt, incerti ambiguique euentus, ea omnia perfectè tenere; quoniam causas rerum omnium atque

actionum

actionum introſpicit: Sed obſcurum eſt quomodo primùm uires, et cauſas rerum omnium intelligat: deinde ijs cognitis, quonam modo futuras cognoſcat actiones, et opera. utrunque autem nobis ſubtilius eſt enodandum. Principiò Deus in ideis, ſuaque uoluntate perſpicuè intuetur rerum omnium, quæ gignendæ ſunt cauſas: ſimulque animaduertit tempora, quibus conſtituit illa procreare. Hæc, quæ ab ipſo ſtatim manant, etiam ſi nondum ſint, ſed ſint futura, apertè cognoſcit. Ea uerò, quæ à rebus iam productis proficiſcuntur, ut inſpicere queat, aliam annectit cognitionem. Hæc autem aſſequitur tali quodam modo. Res ipſas primùm cernit, et unà etiam tempora, quibus illa exiſtunt. Deinde comprehendit earum uires omnes, et cauſas, atque omnia illa, ad quæ rerum poteſtas ualet. atque hoc modo ad ſecundarum cauſarum peruenit cognitionem. Effectus multi neceſſarij ſunt, quibuſque obſiſtere nulla uis poteſt, niſi diuina. Huiuſmodi ſunt *cæleſtium* conuerſiones uariæ: ſiderum certæ, et in multos annos prænuntiatæ congreſſiones: Solis, et Lunæ defectiones, et huius generis pleraque alia. Alij ſunt effectus, qui licèt à cauſa aliqua neceſſitate naturæ aſtricta fiant: tamen neceſſariò non eueniunt; quoniam multa ſunt, quæ cauſas impedire poſſunt, et effectis reſiſtere ne fiant. Porrò, ſicut cauſa illa perſpecta, quæ impediri nulla ratione poteſt, certò aſſequimur effectum neceſſariò ex illa futurum: ita animaduerſa ui illa, cui aliunde obſiſti poteſt: ſimulque ijs omnibus cognitis, quæ impedire queunt, atque

ex illis, quæ, aut obstabunt, aut non obstabunt; certo prædicere effectum poterimus. Omnis enim natura, quæ necessariò agit, nisi aliquid impediat, planè suum absoluit opus. Deus autem non solùm causas uidet, quibus obex aliquis potest opponi: sed etiam cognoscit omnia, quæ, aut adiumento, aut impedimento esse possunt: atque illa etiam, quæ aut iuuabunt, aut impedient; et quantum præsidii, quãtumque afferent impedimenti. Cuncta nanque acerrimè intuetur, omnesque causas, cum antecedentes, et adiuuantes; tum proximas, et remotas intelligẽtia peruadit. Tempora quoque, quibus ii in natura contingent. pendet enim hoc ex Dei arbitrio. Loca, et locorum mutationes, commigrationes, profectiones, cõmeationes, concursationes, congressiones, indeque euentus omnes, qui ex illis ducuntur. Eodem ferè modo præuidet ea, quæ à libera proueniunt hominũ uoluntate. Mens nãque diuina omnes permeat rerum naturas: nullusq; est recessus tam abditus, quẽ non intimè penetret. Idem Numen rerum infirmitates, nostrorumque animorum uires, et mores: uoluntatis uariam, multiplicemque naturam: innumerabiles, cum ad bonum, tum ad malum propensiones: diuersas cõsuetudines, et habitus optimè tenet. Atque cum his agendi opportunitates, et occasiones: concursionemque uariam causarum. Quibus omnibus cognitis, et expensis, quid, qualeve, quantumque erit, ex causa tali modo affecta certò præuidebit. Non quòd iis omnibus positis, non maneat adhuc uoluntas indifferens ad agendum, uel non agẽdum: sed quòd Deus, qui uoluntatem eo modo, quo uoluit

luit constituit; noscit omnia momenta, et pondera eius. Quare in ipsa præuidet certò, in quam partem sese prudens, ac uolens appellet.

De uoluntate Dei. Cap. XI.

CVM unius cuiusque rei naturam, sua sponte, propensa quædam ad bonum applicatio consequatur: eandē, et rerum omnium Parenti, si eundē beatum esse uolumus; tribuere necesse est. Sed si ad excelsam illam intelligendi uim, appetitus ullus adiungendus est, profectò optimus omnium, illiq; consentaneus est ascribendus. Hæc autem est uoluntas: sine qua nihil beatum esse potest. Verùm non illa accersenda est ad naturam diuinam uoluntas, quæ aliunde expetat sui ipsius perfectionem. In Deo enim omne, summumque bonum, ut antea ostendimus, est inclusum. Sed ea requirenda est appetitio, qua se ipsum, suaq; omnia diligat. indeque iucundam, atque beatam uitam traducat. Diuina autem uoluntas, partim libera; partim necessitate quadam astricta est. Etenim cùm innumerabiles perfectiones infinita intelligētia, omnibus modis comprehendat; easdemque immenso amore prosequatur: ab hac intelligentia, et amore continere se non potest. quia non potest nō esse beatus. Fœcunditas quoque diuinæ naturæ eandem intelligentiam, amoremque efflagitat. Illa namque in æternitate, æternus Pater, æternum, paremq; sibi genuit Filium, Vterq; autem eodem momento, diui-

Qui appetitus sit Deo tribuēdus.

Diuina uoluntas partim libera est, partim necessitate naturę astricta.

num produxit spiritum. Quæ societas, ad summã, cumulatamque Dei fœlicitatem, necessaria fuit. Liberè autem in iis omnibus se gerit Deus, ex quibus nulla illi perfectio, aut oblectatio accedit. Ita liberè mundum produxit; eundemque conseruat, atque administrat. Angelos etiam, et homines ingenti liberalitate, et natura, et gratia, et fœlicitate donauit. Denique illa omnia, quæ extrinsecus operatur Deus, et spontanea sunt, et ab iis se liberè, si uelit, sese retrahere potest. si enim necessitate aliqua impulsus effecisset mundum, eundemque necessariò sustineret, suam fœlicitatem extrinsecus assumeret, et consequeretur. Quæ enim necessitate agit Deus, ea omnia pertinent ad ipsius beatitudinem. Quare ab iisdem penderet. Quod primæ repugnat naturæ.

Sententia Peripateticorum de Dei libertate.

Peripatetici tamen Deo simulatam quandam libertatem attribuunt, quæ illum ita ad agendum impellit, ut non agere non possit. Duos enim fines illi præstituunt. Alterum dicunt esse naturam diuinam. Alterum uerò in administratione ponunt huius totius uniuersitatis. ad quam procurandam Deũ alligant, atque deuinciunt. Aiunt enim in Deo, quasi antegredi intelligentiam eorum omnium, quæ uis illa intelligens attingit. Hanc mox subsequi uoluntatem. Hanc bonitate naturæ adductam, omnia illa bona efficere, quæ potest. Tum in operationem totis uiribus, summoque naturæ conatu erumpere. Quo conatu omnia effecisse Deum, quæcunque moliri poterat. Cumque in æternitate simul, et intellexerit, et uoluerit, eodem puncto ea bonitate, qua excellebat omne quod positum erat in sua potestate

præstitisse. Id autem primùm colligunt ex supremi orbis conuersione. quæ cùm in omni æternitate uniusmodi, similisque sit, in ipsa motrice vi speciem quandam necessitatis indicat. Etenim cernimus opera, quæ ab iis prodeunt, quæ necessitate naturæ agant, nec multiplicia esse; nec ullam uarietatem admittere. Hinc illis suspicio suborta est: Deum agere necessariò, quæcunque agit. Ita cum sensibus fidem primùm adhibuissent; mox ad inquirendas argumentationes, quibus suam sententiam confirmarent, sunt prouecti. Principiò aiunt, Deum aliquem in mundo, tanquam principem necessariò inesse oportere. Cuius Numinis operationem uolũt, et necessariam esse; quoniam idem penitus sit cum ipso Deo, qui necessariò est. Inde concludunt actionem Dei, quadam fieri necessitate. Deinde ex ordine, et serie causarum id ipsum conantur comprobare. Quæcunque inquiunt, à natura fiunt, necessitate fiunt. Natura uerò instrumentum quoddam Dei est. ab eo enim, tanquam à Principe, cunctæ operationes diriguntur ad finem. Quare, et ipse Deus necessariò aget. In iis nanque, quæ non ex euentu, sed naturaliter sociata, copulataque sunt, et superorum, et inferorum idem est modus agendi. Tum acutiùs hæc comprobant, quòd nobilissima omnium sit diuina natura. Ob eamque causam, præstantissimum modum agendi ei attribuendum esse. At quis non uidet necessitate agere, melius esse quàm liberè operari? Omnis enim res necessaria, præstantior est non necessaria. Post si liberè extrinsecus operatur Deus, diminuta esset

eius

eius actio. duo nanque cum sint operum genera; necessarium unum; non necessarium alterum, Deus nihil efficeret necessarium. Quod enim necessariò est, si ab alio producatur, debet necessariò produci. Itaque non omnes rerum species, et genera gigneret Deus, sed euentus tantùm, et casus. et quæ contingentia dicuntur. Demùm in rebus æternis idem omnino est posse esse, et iam re ipsa esse. Si ergo potest Deus quidquam efficere, illud omne iam necessariò effecit. Hæc illi. Quæ cum firmissima ipsi iudicent, à nobis diligentius expendenda sunt.

Disputatio contra Peripateticos pro Dei libertate.

Plurima nanque inaniter commouere, comminiscique uidentur. Nam quod de motu dicunt æterno, et falsum est, et naturæ repugnans. Est enim motio ex earum actionum genere, quæ repugnantiam includunt; quæque in instanti, qualis est æternitas, fieri non possunt. Oportet enim ut prius sit uis motrix, deinde moueat. esse autem eodem puncto temporis, atque mouere nefas est. Quare si indiuiduum punctum est æternitas, si in ea inest Deus; si in eadem quoque est mundi emanatio, ut ipsi aiunt, in eadem non inerit motus; qui eam mundi emanationem cõsequitur. Quomodo igitur, si non erit in æternitate, erit æternus? In eo autem, quòd eandem rem omninò esse dicunt, diuinam naturam, et eius operationem; multa implicant, atque inuoluunt. Duplex enim genus est diuinarum actionum. Vnum internum, quo diuinæ constituuntur personæ. Hoc, cùm ad diuinam pertineat fœlicitatem, necessarium est: eoque Deus carere non potest. Alterum genus est externarum operationum. Eiusmodi est procrea-

tio mundi: eiuſdem conſeruatio, et gubernatio; multaque alia, et præſtantiora, et diuiniora. Quæ licèt à diuina non internoſcantur natura: pendent tamen non à ſubſtantia, ſed à uoluntate. quæ cùm libera ſit, ab æterno decreuit omnia ea, quæ ex tempore efficere uolebat. Quocirca conſtituto tempore aduenięte, ſine ulla noua actione res ipſæ emergunt, atque exiſtunt. Quæ autem de natura adiiciunt, de præſtantia neceſſitatis in agendo, de imminutione Dei operum, ſi ea liberè fiunt: nullo firmo, ſtabiliq; fundamento innituntur. Neque enim, quia natura diuinorum operum eſt inſtrumentum, iccircò aget Deus more naturæ. Naturaliter enim, uel neceſſariò illi non coniungitur Deus. ſed Natura imperio, poteſtatique ſubijcitur diuinæ. Quæ poteſtas ita concurrit ad omnia peragenda, quæ fiunt, ut ſuam uim temperet pro uariis rerum modis, cum quibus conuenit ad agendum. Itaque neceſſitas naturæ duas habet radices. Vnam internam in ſuæ eſſentiæ principiis, Alteram externam ex Dei uoluntate, quæ ab æterno conſtituit cum ea concurrere, iuxtà ipſius modum. prior radix abſoluta eſt, poſterior hypothetica: quare nihil extra Deum penitus, et undique neceſſarium. Neceſſitas autem non ſemper in agendo libertati præſtat: ſed in iis efficiendis, quæ ad efficientium cauſarum pertinet perfectionem. In iis autem, quæ extremum finem non reſpiciunt, libertas neceſſitatē antecedit. Homo enim multis partibus reliqua ſuperat, eò quòd liber ſit. Opera uerò, quæ neceſſariò à Deo fiunt, quoniam ſpectant ad ſui ipſius fœlicitatem, immenſo ſuperant interuallo illa, quæ ab eiuſdem

dem proueniunt libertate. Neque iccircò Deus infirmè agit, quia non necessaria molitur. Nullum enim externum opus potest necessariò esse, atque consistere. Omnia nanque diuinæ subiiciuntur potestati, à qua consumi, et destrui, et deleri possunt. Illud quoque haud sequitur, si Deus summo naturæ conatu non operatur, diminuta fore Dei opera, cùm potestatem productricem non exæquent. Nam cũ Deus summè liber sit, in iis gignendis operibus uariè moderatur suam uim, ut effectum, quem uult, explere possit. Denique alio loco in æternis ostendimus, uel ex ipsis Peripateticis; non semper opus, melius esse potestate. sed quandoque uim agendi operationibus præstare. In iis uerò, quæ pertinent ad rei perfectionem, semper melius esse agere, quàm agere posse. Ex his concluditur Deum non solùm nulla necessitate impelli, ad ea molienda opera, quæ extrinsecus gignit: sed ea cum summa libertate moliri. Cùm enim posset ab iis externis operibus se continere, in illo excelso statu, qui aliunde non pendet: tamen uoluit aliquando suæ bonitatis rationem habere. Quam etiam prætermittere potuisset, cùm non minus bonitatem deceat sese communicare cũ aliis; quàm absolutam et nullo modo pendentem ab aliis se præbere. Hæc Deum ad nouam molitionem quærendam adduxit: non appetitio aliqua, quæ illum impelleret ad bonum aliquod extrinsecus inquirendum. Nullus enim finis præstitutus est illi iis in rebus, quas produxit. Si enim ullus esset, necessariò ex illo, aut perfectio aliqua, aut iucunditas accederet Deo. Quatuor autem modis uoluit diuina Boni-

Quatuor modis sese Deus cum Mundo cõmunicauit.

tas

tas ſeſe rebus impertiri. Primum naturas tribuit rebus. Mox gratiam. Tum diuinam quandam fœlicitatem, quæ omnium naturas excelleret. Denique hypoſtaſim filii naturæ humanæ. Vtrum autem præter gratiam, et gloriam, poſſit Deus alio modo, qui in eius infinitate deliteſcat, ſe rebus impertiri, mortalibus ignotum eſt.

NICOLAI CONTARENI IOANNIS GABRIELIS FILII PATRITII VENETI.

De Vniuersitate Liber Secundus.

AD VIRVM AMPLISSIMVM Leonardum Donatum.

De Mundi ortu. *Cap. I.*

IVDITII nostri infirmitatem, hucusq; in Dei contemplatione experti; hæbetiora probauimus hominum ingenia, quàm ut lucis tantam uim sustinere possint. Verùm cùm diuinæ illius, præstantisque naturæ cognitio, ad moderandam animi pietatem plurimùm ualeat; difficultate rei deterreri nos non oportet, ut à suscepta prouincia desistamus. Sed cùm ad Deum contemplandum, imitandumque nati simus, uestiganda omnino nobis est aliqua ipsius imago; in cuius aspectu eximiam diuinitatis speciem saltem in eminentia quadam, et umbra agnoscamus, et adumbremus. Hæc nulla in re, aut commodiùs, aut exquisitiùs inueniri potest, quàm in Mundo ipso. præstantissimũ enim Dei opus

est, atque absolutissimum. De quo illud primùm consideremus, semper ne fuerit nullo generatus ortu; an ortus aliquando sit. et si natus Mundus est, utrum ab aliquo temporis principio ortum habuerit, an à Deo ex æternitate manarit. In qua quæstione innumeræ non modò differentium, sed somniantium philosophorum extitere sententiæ. Empedocles enim Agrigentinus, qui inter Physicos ferè primus de talibus rebus quæsiuit, duos mundos ex terra, aqua, aere, igne concretos esse dicit. quorum alterum Mundum Litis, alterum Sphærum appellat. Hos, et occidere, et interire: et immensis temporum spatiis cessare: rursusque reuiuiscere, et uicissitudine quadam unum ex altero prodire opinatus est. Ab Amore autem, & Concordia Sphærum; à Discordia uerò, et Lite alterum ædificari Mundum facit. Quæ sententia abhorret à philosophia plurimùm.

Quæstio de Mũdi ortu.

Sententia Empedoclis de ortu Mundi.

Nam si in Mundo Sphæro omnis motio tot seculis cessauit, unde illa quies repentè in tantam uolubilitatem, et celeritatem prorupit? Quemadmodum autem obedire, et parere discordiæ uoluntati, aer, ignis, aqua, terra potuerunt? Quòd si Numen aliquod tátas molitiones machinatum est, cur non unũ duntaxat Mundum construi uoluit? Neque enim ipsum mutua hac Mundorum internitione, ac reparatione oblectari existimandum est. Quæ nulla esse potest, si idem beatum esse putamus. Anaxagoræ uerò opinio fuit, natiuũ esse Mundum: hoc est mundi distinctionem, et ordinem. Res uerò ipsas indiscretas antea, atque permistas in magna uniuersæ naturæ confusione, quá Chaos ipse nominat; sine mo-

Anaxagoræ opinio.

tu, et uita infinito tempore delituisse. Quousque Mundana Mens, quam idem Deum esse arbitratur, tam rudem molem sua ui, à summa inconstantia, ad summum ordinem traduxit. Quasi, aut Chaos sine ulla efficiente causa tot seculis constiterit; aut Deus in æternitate tantam molem fabricatus sit, ut eam infinito temporis spatio emenso, ad huius operis molitionem adhiberet. Plato quoque uariis in locis de Mundi productione multa commouere uidetur. Principio illius explicat generationem; Mundumque natum esse cum tempore dicit. quandoquidem cernitur, tangitur, et undique corpore cinctus est. ea autem quæ sensus mouentia sunt, eadem in opinione considunt. hæc uerò et ortum habere et gigni putat. Idemque hunc, quem cernimus Mundum, simulachrum quoddam alicuius æterni exemplaris esse arbitratur. Simulachrum uerò nullum æternum esse contendit. Verùm ubi causam exponit, quæ opificem impulit, tanto ut operi manus admoueret, contra dicere uidetur. Probitate, inquit, præstabat summus ille mũdi opifex. probus autem inuidet nemini. Itaque omnia sui similia generauit. Hæc nimirum gignendi Mundi causa iustissima. Hæc ille. Academici uerò ex his rem totam sic concludunt. Si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex, quid erat, quod concupisceret Deus illius generationem tot seculis differre? Nam si non esse, his, quæ sunt, summa miseria est, cur mundum omnem, tot temporum spatiis miserum esse uoluit? Homines uerò miserrimos, qui tam præstanti natura, qualis est ratio, et mens in æternitate caruere? Itaque hac in re

Platonis opinio.

quæ-

quędam uidetur Plato cõprobasse: à quibusdam autẽ, quod incertæ essent, prudẽter assensionem cohibuisse. Etenim quòd Mundus, non à Natura, non à Fortuna, non temerè productus sit: sed quòd à Dei uoluntate, nulla necessitate astricta, quæ diuinam consequatur intelligentiam, effluxerit, constãter affirmat. Vtrum autem in æternitate materia quædam à Deo profecta sit, totaque simul hac insatiabili rerum uarietate formata; an cum informis prius esset, post infinitum tempus eam tot rerum formis exornauit: aut quod reliquum est, utrunque simul in tempore præstiterit; neque ait, neque negat. Tam enim bellè, atque concinnè de mundi ortu disseruit, ut in quamcunque partem totam illam disputationem, quam in Timæo de ipso habet, conuertas; omnes has quas retulimus opiniones, induere facillimè possit. Ex quo factum est, ut Academici, qui longis interuallis Platonem subsequuti sunt, Plotinus, Iamblicus, Numenius, Plutarchus, Hermias, Ammonius, Proclus, et alij in tam uarias abierint sententias. Platonis autem auditor Aristoteles fidenter sanè, et apertè nihil tam uerens, quàm ne de re hac dubitare uideretur; nouam operis molitionem, atque in tempore factam physicis rationibus labefactauit. Mundorumq; uarios ortus, et interitus: quos de Empedocle, et Anaxagora exposuimus, funditus sustulit. Vtrum autem à Platone non dissentiens Mundum in æternitate prodiisse putet à Deo; an nullum omnino ipsius auctorem agnoscat; grauis inter Peripateticos uersatur dissensio. Quoties enim profitetur, ab uno primo omnium principio esse, et uiuere quibusdam

Aristotelis sentẽtia de origine Mũdi.

Dissensio inter Peripateticos de Mũdi ortu.

clariùs,

clarius, quibusdam obscurius impertitum esse. quoties à Deo cælum, et naturam pendere testatur. quoties nihil Deum agere temerè, atque naturam: et huiusmodi plerasque alias profert sententias: toties ad eam opinionem Auerroem, Simplicium, Philoponum, et alios non ignobiles Peripateticos permulcere, et allicere uidetur. At ubi cælum, atque cælestes mentes æternas dicit. ubi ait illas non habere causas efficientes nisi fictas. ubi Dei finitam uim affirmat. ubi in omni rerum effectione materiam requirit. ubi Mundum alium effici posse negat; quia materia tota consumpta, absortaque sit ab huius uniuersitatis complexu. ubi Deum solùm mouere: se ipsum tantùm intelligere; ignorare alia: nihil curare; nullam procurationem rerum humanarum habere: illi ab Alexandro nobili, præstantique Philosopho assensum est. Nobis uerò in hac disputatione, quanquam eorum nemini assentiamur: tamen uerius ab Alexandro Aristotelis sententiam explicatam fuisse uidetur. Verùm contra Peripateticos multa ab his, qui altiùs philosophari consuenere, et optimè inuenta, et subtiliter disputata sunt. Quorum philosophandi ratio libera, et grauis mihi uehementer probari solet. Principiò illud Peripateticis uitio uertendum uidetur, quòd quæstionem hanc de mũdi ortu inconsultè tractarint. Solum nanque illud ostẽdunt, ex materia aliqua mundum effici non potuisse. Vtrum autem à Dei infinita ui, nulla adhibita materia emanarit, quod Plato aiebat, non conquirunt. Neque prima illa animi notio, quæ in omni affectione materiam requirit, tam certa est, ut de ea ambigi

Disputatio contra Peripateticos ꝑ Mũdi ortu.

nullo

nullo modo possit. Cuius sententiæ discussio cùm ab illis prætermissa sit, meritò reprehenduntur. Sed iam rem ipsam agamus. Quæro de illis, Mundus hic, de cuius generatione disserimus, utrum eiusdem cum Deo naturæ communitatem sortitus sit, an disparem?

Si dicant Deum, et Mundum eandem habere naturam; exponant etiam quænam hæc sit. Si ambo ita consistere dicant, ut possint etiam non esse; illud sequi oportet: nihil necessariò esse. Hoc autem posito: quomodo tam innumerabiles rerum naturæ, quæ cæli complexu continentur, in lucem prodierint, intelligi non potest. nam si nulla res necessitate tenetur, ut sit, nulla erit æterna. unde igitur tanta Mundi machina erupit? Sin uerò alterum optent, affirmentque Deum, et Mundum necessaria quadam ui contineri: sciscitor ab illis, cuinam eorum hæc necessitas accepta referenda sit? Aut enim utrunque se ipso contentum, non eget altero, ut consistat. At si qui sunt, qui ita sentiunt, eos compello, quomodo differat Mundus à Deo? aut quià duæ sunt res, et numerantur solùm; aut quoniam eorum formę, et naturæ sunt diuersæ, et si congruant in genere. Qui censent unū ab altero in eo duntaxat dissentire, quia numerantur solùm: ii non uident sese, et Deo parem Mundum facere; et innumerabiles mundos, infinitosque Deos in naturam inducere. quid enim impedit formam illam, in qua ambo consentiunt, in indiuiduarum formarum multitudinem, quæ nullum sub numerum cadat, posse propagari? quòd si ut id fiat, nihil repugnat, nihilque obest, iam infiniti Dii, innumerabilesq; Mundi sunt in natura. In æternis nanque, esse

posse,

posse, et re ipsa esse, idem sunt omnino. Qui uerò Mundum à Deo in eo differre dicunt, quòd eorum formæ sint diuersæ: conuenire autem, quoniã unum genus sit illis commune: quæro quodnam sit hoc genus, in quo conueniunt. quatuor enim genera constituunt philosophi, quæ æquiuocum, ab uno, ad unum, uniuocum appellant. Si Deus, et mundus in primo congruerent, nomine quidem conuenirent; toto autem genere disiungerentur. sed substantia est illis saltem communis. Neque in altero concurrunt. Etenim in illo, unum primum est, à quo reliqua omnia in eo genere ducuntur. quocirca si Deus prima natura est, erit etiam Mũdi causa. si Mundum primum fecerint, eundem Dei effectorem constituunt. Tertium quoque genus haud conuenienter illis aptatur. constat nanque Mundum, atque omnes Mundi partes finem quendam nactas esse à se ipsis seiunctum nempè Deum. Deum autem nullum alium sibi præstituere finem, nisi se ipsum. Nullus ergo est finis communis, ad quem cum Deus, tum Mundus conspiret. Restat quartum genus, in quo si Deus, et Mundus ab illis reponantur, fateri quoque eos oportet, eorum utrunque quandam naturam propriam habere; quandam communem. ex his duabus naturis peto, quænam erit causa eius necessitatis, quam utrique ascribunt? non propria solùm. idem enim ex necessariis, et non necessariis concresceret; quod aduersari naturæ uidetur. Neque solùm communis. concurrent namque tum res contrariæ, ut idem necessariò constet, et non necessariò. Neque utraque simul, huius rei causa esse potest. nam si à Deo, et

Mundo

Mundo proprias demeris naturas, manebit uterque adhuc necessariò. quoniam communis restaret natura. Ex his concluditur fieri non posse, ut mundus se ipso necessariò consistat. Quocirca multi ad illud confugiunt, quod in hac quæstione uerisimilius esse uidetur: Mundum scilicet iccirco necessariò esse; quia illi Deus impertitur necessitatem. Verùm isti inficiari non poterunt. Deum quoque mundo impertire naturam. Quid enim est aliud hæc naturæ conditio, quam necessitatem appellamus, nisi affectus quidam rei, quæ necessariò est? Proprietates autem ipsæ, ita rerum naturis coniunctæ, affixæque intelliguntur, ut ab eadem omnino causa efficiente, et natura, et naturæ proprietas indissolubiliter proficiscatur. Itaque contra illos, qui communem Dei, et mundi naturam faciunt, à nobis dictum sit satis.

Veniamus ad eos, qui hâc, de qua modo diximus, naturæ communitatem tollunt; dicuntque Deum necessariò esse, mundum autem non necessariò constare. Hoc cùm confirmant, et labefactant mundi ætatem, et à causa, quæ necessariò existat, construi eundem faciunt. atque ita eò quò minimè uolunt, uel inuiti reuoluuntur. Quod enim necessariò non est, ad illud, quod necessariò existit, adduci debet. Quod et in ipsa philosophia contingere uidemus. Omnis nanq; cognitio in primas quasdam animi notiones, quibus necessariò assentimur, reuocari solet. In expetendorum quoque genere, ad ultimum quod necessariò expetatur, reliqua omnia bona referuntur, Eorũ etiam, quæ natura constant, causas quærimus necessarias, et communes. Idem cernimus in Republica obseruari.

in qua cùm omnium consiliorum, deliberationumq́; finis sit bonum commune, illud necessariò appetunt optimi ciues. et, ut illud assequantur, omnia agunt, quæcunque agunt. Ex his efficitur ista sic reciprocari. Si Deus Mundũ moderatur, et conseruat, eundem illum produxisse. Et uicissim si effectus à Deo mundus est, mundum quoque ab ipso conseruari.

Peripatetici uerò cùm facilè primum concedant; alterum negare non possunt. Nam cùm quicquid inest in Deo, Deus sit, nullaque uis in ipso concludatur, quæ aliam excellat; sed omnes pares, et exæquatæ sint: uis quoque conseruandi rerum naturas, et causæ gignendi, quas continet Diuinum Numen (gignit autem motum) pariles, et æquales erunt. Quare si ui sua res omnes conseruat, easdem quoque produxisse necesse est. Ex his concluditur Mundum causam habere, à qua natus sit. Quod et Poetæ significare uidentur, cùm Deum et mũdi satorem, repertoremq́; rerum, et id genus alijs nominibus designant. Quin etiam in ea omni parte, quam Ver appellamus creatum fuisse mundum cecinit ille.

Non alios prima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies: aliumue habuisse tenorem:
Crediderim: uer illud erat: uer magnus agebat
Orbis: & hybernis parcebant flatibus Euri.

Vtrum autem in æternitate emanarit, an innumerabilia post secula fuerit procreatus; res est obscurior, quàm ut eam humana ratio demonstrare possit.

Itaque ab ipso Diuino Numine optanda magis eius eluci-

elucidatio eſt, quàm ratione aliqua indaganda. Illud certè dubitari non poteſt, Deum nulla ui impulſum, aut naturæ neceſſitate aſtrictum, ſiue eam intelligentiam, ſiue bonitatem ſequatur; quod exiſtimare uiſus eſt Plato; ſed immenſa bonitate adductum ſumma cum libertate tam excellens opus confeciſſe. Probitate nanque excellebat Mundi ille procreator, incredibiliq; flagrabat amore, atque diuina quadã ἔκςασι rapiebatur ſuæ propagandæ, et effundendæ bonitatis. Quænã fuerit cauſa gignẽdi Mundi.

Deus autem in æternitate Mundum efficere noluit; ut cùm bonum, ipſumque ſummum bonũ ſit, prius exerceret, quod ſummi boni eſt, quodque ipſi ſolùm conuenit; quàm quod boni intereſt, id quod eſt illi commune cum cæteris. Boni autem propria eſt quædam ſui ipſius effuſio, ſicut uiciſſim ſummo congruit Bono princeps locus in genere bonorum, atque abſolutiſſimus quidam ſtatus, qui aliunde nulla ratione pendeat. Hunc primo loco exercitum, teſtatumque eſſe maluit. quoniam ſummi boni, quàm boni potior ratior habenda fuit. Quinetiam hoc ipſum cauſæ eſt, ne plures Mundos moliatur Deus. Cur enim id non poſſet, ſi uellet? Idẽ enim eſt, qui fuit Deus. eadem uis. neque in hoc, quem cernimus, Mundo ædificando aut amiſit quidquam, aut conſumpſit. Labore fortaſſe deterretur, cùm huius operis conſeruationi continenter incumbat? atqui conſeruare, et creare diuerſa munera Peripateticis uidentur; cùm illud Deo attribuant, demant iſtud. Labor autem nec ullus eſt, nec attingit Deum. Sed ad eum, qui nunc ædificatus eſt; Mundum reuertamur. quem Sanctiſſimus vir Auguſtinus tribus illis uerbis Fiat, Cur Deus Mũdum in æternitate nõ procreauit. An Deus plures Mundos efficere poſſit. Mũdus ter productus.

Fecit, et Factum est, quæ diuinæ literæ in Mundi generatione Deo ascribunt; ter productum agnoscit. Principio in Verbo, idest Filio: quem Pater genuit in æternitate. In eo enim infinitæ rerum ideæ refulserunt. ex quibus ille certas uoluit in tempore procreare. Altera mundi generatio cernitur in Angelis; in quorum mentibus impressæ sunt à Deo rerum procreandarum notiones. Tertius uerò Mundi ortus, qui et ipsi magis proprius esse uidetur, in ea operis molitione, quam sex dierum spatio absolutam fuisse testatur Moses, perfectus, et absolutus est. Qui dies non ad eos, qui superis conuersionibus cōficiuntur, sunt referendi. Nam quæ potuit esse Mundi conuersio sine Sole, et Luna, cæterisque sideribus, quæ legimus, producta fuisse die quarta? Dies itaque illi Diuo Augustino non ex uespere, et mane Solis cursu peractis; sed ex Angelorum Vespertina, et Matutina cognitione, qua uel in Verbo, uel in proprio genere res progignendas intellexere, consistunt.

Qui nā sint sex illi Dies, in quibus expleta est Mundi generatio.

De Anima Mundi. Cap. II.

VETERES Philoſophi Mundum animantem ſenſibus, et mente præditum, eundemq́ue ſapientem, atque beatum eſſe dixerunt. Quæ opinio à Pythagora profecta, à Platone confirmata, ad noſtram uſque peruenit ætatem. Sed ut Pythagoreos omittam, Plato in Philebo ea potiſſimùm ratione diuinum hoc Numen in naturam inducit: quòd intelligere non poterat, unde nos animos caperemus; ſi Mundus ipſe animatus nõ eſſet. Quocirca cùm ipſi partes Vniuerſi ſimus, ratione, et mente præditi, eadem ui Vniuerſum carere non poterit. Illud autem incredibile eſt, cæleſte hoc rationis munus rebus mortalibus impertiri. Quod uerò immortalitas conſecuta eſt, omnino ratione orbatum eſſe. Admirabilis uerò ordo, quem in Mundo cernimus; tantaq́ue cæli motionum æquabilitas, atque ex omni tempore conſtantia, quid aliud declarat, niſi ab aliqua ui, quæ mente conſtet, Mundũ omnem contineri, et adminiſtrari? His itaque, et ſimilibus rationibus Academici Mundum faciunt animantem. Cuius animæ generationem explicans in Timeo Plato, tanquam ſi eam à diuina Prouidentia commonſtratam indicaret, ita ferè loquitur: Deus Vniuerſi animam antiquiorem Mundo genuit, idq́ue molitus eſt tali quodam modo. Ex ſubſtantia, quæ indiuidua eſt, et quæ ſemper uniuſmodi, ſuiq́ue ſimilis manet, et ex diuidua, quæ circa corpora gignitur: tertium naturæ genus admiſcuit. quod ex

Platonis ſentẽtia de Anima Mũdi.

Animæ Mũdi generatio.

EO-

EODEM, et ALTERO constaret. Atque ALTERIVS fugientem naturam, cum EODEM permiscendo, in unam speciem temperauit. Quam mox partiendo, ita partes singulas moderatus est. Ex toto septem partes detraxit. Principiò primam. mox secundam; duplam primam. deinde tertiam, quæ esset secundæ sexquialtera, primæ triplam. inde quartam, quæ secundæ dupla esset. post quintam, quæ tertiæ tripla. inde sextam, octuplam primæ. denique septimam, quæ septem, et uiginti partibus antecederet primæ. Hæc uerò interualla sexquialteris, sexquitertiis, sexquioctauis Deum replere facit. atque cum his multa alia numerorum inuolucris ita obducit, ut Pythij oraculi interpretationem desiderent.

Qua in re diuini illius uiri ingenium fortasse admirari possem: morem uerò hunc philosophandi, qui multis admirabilis uideri solet, probare non possum. Sed nunc rem ipsam uideamus, de modo disseremus posteà. Sciscitor ab Academicis simulatè ne, an ex animo loquantur; cùm dicunt animam ex numeris, et harmonia constare? Si propriè loquuntur, non uideo, quomodo numeris, quæ quantitates sunt, concrescat animæ substantia. At si hæc dedita opera confinxit Plato, quid erat, quod concupisceret tot interualla, tot sexquialteras, sexquitertias, sexquioctauas ad illius generationem adhibere? Si ut illam planius explicaret: non uidit quantum iis, qui ab ipso profecti sunt, Academicis, negotii, atque laboris imminebat, si uellent res tam præclaras in lucem ex tenebris eruere. Id quod testantur pleræq; omnes eorum discrepantes sententiæ.

Disputatio contra Academicos de Anima Mũdi.

Amelius

Amelius enim ea, quæ de uno, de binario, ternario, quaternario, nouennario, octonario, uiceno, septeno protulit Plato, ad Deos: Dæmonas: ad corporum generationes: ad uitæ denique humanæ transtulit gubernationem. Atque hæc numerorum quadam harmonia, ab Anima Mundi cõplexa esse speciosè edisserit. Porphirius ad rationes, quæ in Mundana insunt Anima, rationes numerorum adducit. In Anima nanque concinnè, et mira quadam proportione rerum omnium species quasdam, quas rationes appellant, contineri arbitratur. Quibus omnem administrari Mundum censet, et pulcherrimè regi ab eodem Numine facit. Iamblicus hos numeros proprietates eiusdem Animæ esse existimat. Vnitatem uim quandam esse dicit, qua anima et una sit, et paucis agat, et intelligat. Binarium uerò alteram eius uim, quæ excurrentem quandam intelligentiam eidem præbeat. Ternarium uim illam, à qua regressus omnes eorum, quæ processerant, proueniat. Quaternarium autem plenissimam harmoniam in animã inducere est arbitratus. Nouennarium auctorem nuncupat perfectionis, atque similitudinis cum Deo, eò quod perfectus ex perfectis concrescat. Octonarium uim illam, quæ animam per omnia tranantem impellat. Vltimum uerò regressum extremorum in VNVM idest in primum effectorem affirmat. Has ille uires Mundanæ Animæ tribuit. Quid autem referam Plotini, Crantoris, Numenii, Attici, Plutarchi, inanes, futilesque sententias? Qui cum puerilibus fabulis libros refersferint, eas admirabiles appellant rerum abditarum imagines, atque signa recon-

Academicorũ dissensio in explicanda Animæ Mundi generatiõe.

dictionis

dictionis diuinitatis. Sed ad Platonem redeamus. Qui si Mundanæ Animæ generationem non ea de causa numeris explicuit, ut faciliùs intelligerentur, quæ de illa disserebat: sed eo consilio eius ortum numerorum umbra obduxit, ut scilicet tantarum rerum cognitio fugeret indoctos: doctis uerò nihilominus perspicua essent: næ ipse, nec uoti compos est effectus, nec posteritati prudenter admodum prouidit. Si.n. illi quibus Plato res tàm præclaras quodam obscuritatis quasi uelo tegere tentauit, ignari sunt: quid alia opus fuit occultatione, nisi ea qua res omnes natura obstruxit? quæ tanta est, ut uel doctis, et eruditis uiris: præsertim in tanta iudiciorum infirmitate; ingens negotium facessat. Quare mos ille cœlandi non mysteria, sed monstra potius, atque portenta philosophiæ; cuius auctorem Pythagoram fuisse ferunt; detestandus, execrandusque philosophis est. Aemulatur enim non imitatur præpotentem illum Deum, qui longè aliam ob causam uoluit innumerabiles sapientiæ suæ opes occultare. De quo alio dicemus loco. Nunc ad Animam Mundi redeamus. quæ, ubi Deus eius expleuit generationem, huic rerum Vniuersitati ab eodem iuncta est. ita ut eam principiò in medio collocaret: mox per omnem mundum tetenderet: tàm aptè, ut, et in Vniuerso tota esset, et in partibus integra conseruaretur. In qua colligatione, cùm anima ad corpus descendisset, nec alas fregit; nec prolapsa est. Quod humanis animis contingere solet. Qui in descensu ad corpora, ita corũ umbris obnubilantur, atque quodammodo uinciuntur, ut omnem, quam antea habebãt rerum omnium cognitio-

Connexio Animæ cũ Mundo.

gnitionem, in obliuionem cõmutent. Quare eandem semper in corpore; hoc est beatam, atque felicem uitam traducit. Tametsi autem diuinum hoc Numen extrema cœli ora, atque Mundi determinatione contineatur: eius tamen uirtus longè excellentior est, quàm, ut Mundus hic eam coercere possit. Itaque ubique est, ubique uiget, cunctis adest corporibus, iisdemq́ue uitam impertitur. Atque cùm innumerabilium, et admirabilium sit plena uirtutũ, eas effundit in totum. singula quidem; et præcipuè superiora mundi membra uiribus undique mirificis implens, quæ elementorum qualitatibus diuiniores sunt. Has (rem impiam) et uotis supplicum, et opeibus magorum conciliare sibi, et infigere quenquam posse contendunt. Eadem in sua intelligentia, cogitatione, natura descriptas, et quasi præsentes omnes habere conuersiones Mundi, atque euentus, qui uel motiones cœli necessariò comitantur; uel quomodocunque sub cœlo fiunt. His multa alia nectunt; quæ quoniam nullis Phisicis rationibus innituntur, non est, ut ea longa confutem oratione. Animã ipsam consideremus, an aliqua in Mundo sit, quæ illum faciat animantem, eundemq́ue regat, atque gubernet. At quæ uita Vniuerso adesse potest, cùm neque alatur, neque crescat, nec sui similem unquam generarit? Quid? uitam fortè ei tribuent omnis actionis expertem? At hæc uitæ priuatio potius, uacuitasq́ue dici, quàm uita debet. Sensus uerò quos huic rotundo, et uolubili Deo attribuunt, qui esse possunt sine iis instrumentis, quæ necessariò requiruntur ad eorum munera peragenda? Quare si

Num Mundus sit Animatus.

oculis, si auribus, si reliquis sensuum instrumentis à natura spoliatus est, eundem, et uidendi ui, et sentiendi orbatum esse oportet. Mundus itaque et sensu, et uita caret. Mente fortasse constabit? At si ratione præditus est, quæ à uita, et sensibus sit disiuncta; quæro quid Mundo præbeat? Intelligentiam certè præstare non poterit. Neque enim tam arctè illi adiuncta est anima, ut eum, et sapientem facere, et intelligentem possit. Profectò arctiori uinculo opus est ad id efficiendum: quàm sit illud, quo isti mẽtem connectunt Vniuerso, Quod quidem uinculum satis est debile, cùm nullum aliud sit, nisi quod inter efficientem causam, et instrumentum cernitur. Cœlum fortasse, elementaq; mouebit? Cur ergo alios adhibent motores, atque singulos singulis adiungunt globis, et astris, ut ea, et conuertere possint, et conuersiones firmas, et ratas in omne tempus seruare? Restat si quem ad usum Anima tributa est, ad ipsum regendum, et moderandum, eiusque omnes partes tẽperandas à Deo adiunctam esse. Sed mundum à nullo alio administrari posse, nisi à summo Deo ostendemus postea. Nulla igitur uita, nullus sensus, nulla ratio, Mundo adest, quæ ipsum faciat animantem sensu præditum, intelligentem, atque beatum. Plato uerò, qui dixit animum per omnem naturam intentum esse, et commeantem, unde nostros animos caperemus, non sentit sese definitæ rei infinitam uim, qua animos procrearet, ascribere. Quòd si non gignuntur animi, sed detractione quadam ab Anima Mundi eos sustulimus; et dilacerari diuinum hoc Numen, et discerpi necesse est. si proprii nostri sunt ani-

mi.

mi. Cumque miseri animi sæpè sint, quod pleris que contingere solet, tum Dei partem miseram esse oportet, quod fieri non potest. Nec etiam animantia ipsa rectè membra uniuersi dicuntur: cùm non ad illius coagmentationem, sed perfectionem pertineant. Mundus enim ex primis quinque corporibus, terra, aqua, aere, igne, cælo concretus est; quæ et uita, et sensu et mente carent. cœlo excepto, cui uis acrior intelligendi, atque ad semper mouendum apta, et idonea assistit. Denique motionum æquabilitas; siderum conuersiones, et cursus certi, atque in omni æuo constantes, rerum item mira propagatio; admirabilia naturæ opificia, Vniuersique incredibilis ordo, non tam Mundo, quàm uiribus, quæ in singulis rebus uigent, et Deo, ut mox dicemus tribuenda sunt.

De Prouidentia generali. Cap. III.

MVNDI Animam ab Academicis tot uerbis decantatam, paucis, sed Physicis rationibus omnino sustulimus. Sequitur, ut de generali Dei Prouidētia, qua hæc Vniuersitas eiusq; partes continentur, et administrantur, differamus. Copiosa quidem quæstio, sed paulò abstrusior. Nam, et de rerum connexione, et conseruatione; et de admirabili illo diuini Numinis cum rebus ad operandum concursu; atque incredibili omnis naturæ ad mundi incolumitatem conspirato consensu multa in ea disputatione uersantur. Illud autē

necessarium esse uidetur, ut diuina Prouidentia hanc rerum Vniuersitatem pulcherrimè regi, et administrari demonstremus. Multi.n.nescio, rerum ne ignoratione, an animi impietate adducti, omnem rerum procurationem Deo eripuere: atque in eius locum fortunam, casum, temeritatem subrogarunt. Ad fatum alii, quod sideribus tribuebant, omnem reuocat Mundi administrationem. Reliqui quamuis Prouidentiæ nomen non improbent: uim tamen eius, atque naturam non mediocriter labefactant. summaq; hac de re inter philosophos uersatur dissensio. Quo quidem loco conuocandi omnes uidentur, ut quænam earum opinionum uera sit, iudicent, animaduertantque, quid de religione, sanctitate, pietate, dei cultu existimandum sit. Principiò Prouidentiã è Mundo plerique tollunt, quòd eam sine quadam necessitate, quæ res omnes, atque ideo hominem ipsum, qui unus ex animantium generè liber est, uel inuitum ad agendum trahat, et modò rapiat ad uirtutes, modò ad uitia impellat. Cùm enim in cognitione, et uoluntate Dei Prouidentia posita sit, eam iunctam non esse necessitati intelligi non potest. Nam, quæ Deus cognoscit, aut necessariò sunt euentura, aut secus res contingent. si necessariò sunt euentura, nullus libertati relinquitur locus: si uerò possunt contingere, et non cõtingere; quomodo ex infinitis actionibus nulla prorsus deficiet? Neque enim ea ullam dubii, ancipitisq; euentus speciem præseferunt, quæ omnia aliquando erunt, et in lucem prodibunt. Si uerò aliquid secus euenit, quàm euenturum esse Deus præuidit, cadit ergo error in Deum; at id nefas cogitare.

Disputatio de Prouidẽtia.

Cuncta

Cuncta igitur erunt à causa æterna, et necessaria. Quod si uerum est, quæ possunt esse laudationes iustæ? Quæ uituperationes? Qui honores? Quæ supplicia? Prouidentia quoq; euertitur hominũ libertas, qua sublata, et consilium, et electionem ruere necesse est. Tollitur fortuna. tollitur casus. quorum tamen effectus plerosq; cernimus in mundo. Mala uerò cùm tam frequenter fieri uideamus, putandum fortasse est, illa à Dei prouenire consilio? At si diuinum est hoc cõsilium, quomodo rectum non erit? Rectum autẽ quis dicet, cùm uel ipsis impiis hominibus, Deique contẽptoribus diuitias, uoluptates, honores, magistratus, regna ipsa tribui uideamus? Contra uerò iusti, piique uiri his careant bonis; innumerisq; inuoluantur uitæ difficultatibus: et quandoq; immensis torqueantur doloribus. quodq; extremũ humanæ miseriæ esse uidetur, à felicitate deiecti in magnas incidũt calamitates? Hæc nemo dicet, modò sanæ mentis fuerit, à diuina fieri Prouidentia. Ex his concludunt, uel nullã omnino esse Prouidentiam: uel si ulla est, nõ esse Deo tribuendã. Qui uerò ad uoluntatem, et naturam Prouidentiam reuocarunt, cũ modestiùs loquantur; benigniùs quoq; à nobis sunt excipiendi. Etenim si liber est homo, si spontè molitur ea, quę agit, si rerum suarũ consilia inire potest, cur non idem et esse, et sua omnia procurare existimabitur? In eo autem laudandi non sunt, quòd homini non humanam, hoc est ab alio pendentem, sed summam, et absolutam libertatem attribuunt, quæ Dei est propria. Nec uerò homo non liberè agit, et sese, suaq; omnia prudentia regit, et moderatur. Sed ita liber est, ut eius libertas libertati

subii-

subiiciatur diuinæ. Ita agit, ut illius operatio, necessariò Dei requirat actionem. Ita sibi, suisque prospicit, ut illius procuratio à superiori, et diuina prouidentia temperetur. Quare Diuina Prouidentia non solùm non labefactatur hominum libertas; sed uel maximè adiuuatur et confirmatur. ita ut illius ope sublata, homo nihil omnino agere, aut moliri possit. Qua de re alio loco diligenter agemus. Reliquarum rerum, quæ superest Prouidentia, naturæ hoc est causæ cuidam necessariò agenti iidem ascripserunt. Deum nanque, et diuinas Mentes, ita cælestibus affigunt globis; ut illæ naturæ necessitate actæ suorum orbium motus conficiant. Ex quarum motionum disparitate cùm uarientur siderum lumina, rerũ mortalium causæ, atque initia ducuntur, atque ideo omnia gigni, esse, uiuere, conseruari existimant; quia cælestia mouentur, et lucent. Tales uerò actiones res singulas obire, quales naturas sortitæ sunt. quæ etsi non animaduertant, dum agunt, omnia tamen in certum finem, conuenientem, et congruum conuertunt. Mundus igitur omnis cum naturæ quadam ui contineatur, quæ ratione careat, et cognitione, eius tamẽ prouidentia omnia optimè reguntur, et gubernantur. Cui cùm necessitas adiuncta sit, ea Prouidentia Fatum ab ijsdem nuncupari consueuit. Cum qua, et Fortunam retinent, et casum. Natura nanque in gignendis rebus nonnunquam aberrat. Animalibus quoque, quæ cognoscendi ui prædita sunt, frequenter contingunt ea, quæ nec ab ipsis perspici, aut animaduerti potuerunt. Hæc est eorum sententia, contra quã disputabimus postea. Nunc Platonem audiamus, et Acade-

Academicorum sententia de Prouidentia.

Academicos, qui prouidentiam integrā Deo tribuunt, et eandem discerpentes Mundo intelligibili, Animæ uniuersali, Dijs, atque Dæmonibus distribuunt. A Deo aiunt totam hanc rerum Vniuersitatem administrari, ut nihil in ea insit, quod illius subterfugiat potestatem: Nullum absolutè fortunæ locum relinquunt; omnem respuunt temeritatem. Atq; in hoc rectè sentire uidentur. At dum eandem curam diuinæ Menti, Mundi Animæ, Dijs sequentibus, Dæmonibus committunt, pleraque cominisci coguntur. Dicunt nanque omnem rerum procurationem Deum Menti impertitum esse, Mentem in Deam necessitatis, .i. mundanam Animam transtulisse. Ab hac leges, quas appellant fatales, ad mundum per colos, fusos, hamos, uerticulos permanare faciunt. Diis uerò minoribus prouidentiam uariè partiuntur. Quòd eorū alij, omnibus quædam munera tribuant; alij omnia quidem munera, sed certis quibusdam hominib. impertiant. In ijs autem communicandis Dæmones quibusdam affectionibus ad ea, quæ curant, teneri et trahi dicunt. Sed si nec est Mens aliqua diuina, quæ à Deo sit segregata; nec Mundus uel sapiens est, uel animans. nec Dæmones, cùm hominibus inuideant, boni sunt, nec nobis amici; quæ munera ab iis ad Mundum permanare possunt? Hæc dixerint illi. Nos autem quid contra illos omnes habeamus ponamus in medium. Principiò eos, qui Fortunam uenerantur, appello. Descendant in amplum hoc, atque admirabile mundi theatrum. Cæli hunc ornatum aspiciant, considerent, tanti motus, tantæ cæli conuersiones, utrum potuerint tam immenso

Disputatio pro Dei prouidentia.

menſo temporis ſpatio conſtantes, æquabiles, ratæ à Fortuna conſeruari? Cognoſcent profectò ſiderum diſtinctionem, pulchritudinem, uarietatem, ordinẽ vniuerſi, non temerè, non fortuitò; ſed ſumma fuiſſe ratione conſtitutum. Neque enim à materia ad aliud ſemper, et aliud dilabente fieri potuit tanta diſtinctio. Non ſegregat materia: non diſtinguit: non etiã omnibus adeſt, in quibus ineſt diſtinctio. A natura uerò quis ordo potuit proficiſci? Ordo nanque proportio quædam eſt, quæ à mente ſolùm effici poteſt, qua iſtorum Natura caret. Fortuna autem, cùm inter cauſas uix annumeretur, multis effectis poſterior eſt. Nefas igitur dictu uidetur, priora à cauſa fortuita, ideſt poſteriori eſſe profecta. remque omnium, ſi tamen res ulla eſt, mobiliſſimam, rerum ſtabilium fuiſſe principium. Ordo itaque ab intelligente quadam ui, quæ omnia ſit complexa, neceſſariò manat, à qua et Mundum ortum oſtendimus. Tot uerò corporum operoſæ molitiones, quæ continenter fiunt, atque ipſum in primis corporis humani opificium tam pulchrè elaboratum, tam concinnè contextum, quid declarat aliud, quàm cuncta diuina ſapientia adminiſtrari? Tot enim neruis, carnibus, oſſibus, membranis ueſtitur: tot arteriis, et uenis quaſi fluuiis irrigatur: tot inſtrumentis ad uitam, motum, ſenſum, intelligentiam neceſſariis exornatur; tam admirabiliter coniungitur animæ, ut apertè artificem illum, et intelligentem, et ſapientem teſtetur. Neque enim tantæ partium uarietates ex ui ſeminis oriri potuerũt. Ea nanque uirtus, cùm in efficiendo ea utatur ſpecie materiæ, quæ uniuſmodi eſt; qui potuit eam conuer-

tere

tere in tam uaria membra, quæ diuersæ naturæ sunt; quæque, et ad uitam, et ad tam discrepantes actiones homini inseruire debebant? Profectò sic se res habet, ut rerum omnium, et præsertim animalium, atque hominis generationes, egeant mente aliqua, quæ ancipitem materiam temperet; atque illius partes in corporis membra digerat, apta ad suscipiendam uitam; suasque exercendas munerum functiones. Quin etiam ipsi quoq; Poetæ (diuino furore incitati) Deum omnia prouidere, et procurare faciunt. Hanc ob causam eum rerum atque hominū Patrem, Olympi moderatorē, Cæli rectorem appellant. Ab eo Campos Elisios bonis, Tartara malis torquendis destinata docent. Hinc illa:

At hæc nullis sator hominum, atque Deorum
Obseruās oculis, summo sedet altus Olympo. Et illud:

Et iam finis erat, cùm Iuppiter æthere summo
Despiciens mare ueliuolum, terrasq; iacentes.
Litoraque, & latos populos, sic uertice Cæli
Constitit, & Lybiæ defixit lumina regni.

Et quia nihil præclarum sine diuina ope geri posse arbitrabantur: Venerem Æneæ, Iunonem Turno adiutricem dederunt. Quin tot Deorum nomina nihil aliud significant, quàm diuersas diuinæ prouidentiæ partes. Æolus enim est Deus, quatenus uentos moderatur. Neptunus quatenus mari præsidet.

Sed hæc fortasse in prospectu diuinæ prouidentiæ ad-

ducere nos possent, rationem reddere non poterunt. Ascendamus itaque ad summam Dei sapientiam, infinitamque illius bonitatem consideremus. Quæ tam apertè huic rei fidem facit, ut qui eam negent, et impiè, et iniquè facere mihi uideantur. Cùm enim Deus immensa sua bonitate adductus, hãc rerum uniuersitatem procreasset; oportebat eum res sic componere, ut bonitate præstarent, et ad bonum tenderent tanquã ad finem. Nam quidnam eorum alterum melius sit, esse: an in bonum propendere finem, diiudicari uix potest. Atqui tanta est in rebus infirmitas, ut nisi à diuina aliqua ui contineantur, ab ordine, et fine, in quem suis quæque initiis conuersæ sunt: resilire necesse sit. Quibus disiectis sequitur mundi magna perturbatio, atque confusio. Hæc igitur rerum consentiens, conspirans, et continuata in bonum propensio, ne ab ordine desciscat Vniuersi, diuina debuit sapientia confirmari. Illud itaque consilium, quo Deus ante Mundi constitutionem in æternitate cunctis rebus modum præscriptis, et legẽ; secundùm quam fierent omnia, sustinerentur, et agerent; atque fines assequerentur sibi consentaneos; diuina uis est, et ratio immobilis simplicissima cuncta ordinans, atque disponens, quæ Prouidentia nuncupatur. Hęc uis innumerabilium rerum colligens ordinem, infinita complexa est. Quorum nexus in simplici Dei natura, admirabiliter conseruatur. Hæc uniuersam Mundi machinam tam aptè conflatam, ita mouet, ut nullam in Mundum introducat fati necessitatem. Vtitur autem Deus ad suæ prouidentiæ leges exequendas, Angelis, cœlo, sideribusque tãquã

Prouidẽtia quid sit.

primis

primis suis instrumentis; deinde etiam hominibus, atque Dæmonibus. Restat ut ostendamus Prouidētiam neque libertatem hominibus eripere; nec iustitiam euertere. Sed cū huius rei inuentio in Fati quæstione posita sit, iccirco in illud tēpus illā differamus.

De Mundi perfectione, & Mundi partium connexione.
Cap. IIII.

SEQVITVR, ut de perfectione Vniuersi, eiusque partium disseramus. quod undique aptum, atque perfectum, expletumque omnibus suis numeris, et partibus iudicarunt philosophi. Etenim Mundus res omnes admirabili quadam symmetria contextas complexus est. Quid enim est, quod in eo non insit? Aut quid inueniri potest, quod non concinnè, non aptè cū reliquis mundi partibus cohæreat? Verùm hanc uniuersitatis perfectionem ita explicant Academici. A bono aiunt materiam, et Mundum intelligibilem in lucem prodiisse. Ab hoc autem omnes animas rationales Sphærarum, siderum, elementorum, hominum: Dæmones quoque, atque ipsam aliarum omnium præstantissimam uniuersam Mundi Animam deriuari censent. Ab animis autem et naturam, et corpora deducunt. Quæ rursus colligentes ita propriis originibus restituunt. Cuncta Mundi corpora ad corpus unum, quod primum est, adducunt. Academicorum sententia de Mundi partium cōnexione.

Naturas omnes ad unam quoque naturam, quæ in primo corpore insit. Animas ad animam cõem. Mentes ad primam Mentem; quam ad Bonum denique referunt. Itaq; et naturæ inferæ à superis gignuntur, et arcto connexionis uinculo astrictæ, qualis est causarũ nexus cum effectis, uicissim sibi adhærescunt. Iidem rerum admirabilem coniunctioné, ex earum guberna tione declarant. Deus, aiunt, Mundum oẽm moderatur. in qua administratione Mentem sibi asciuit, atq; cum ea, et rebus omnibus consulit, et easdem optimè procurat. Anima uerò mundana, et à Mente regitur, et ab ea diuinas excipit iussiones. Illasq; Dæmonibus, et aliquibus hominum animis prouidentiæ ministris exponit. Qui per instrumenta in hunc usum comparata, quæ sibi imperata sunt, facillimè, atque celerrimè exequuntur. Nihil igitur in Mundo otio torpescit. Nihil non agit. Nihil est ab hoc rerum ordine disiunctum, nihil diuulsum. Huius tantæ perfectionis, et ordinis nullam similiorem faciunt speciem; quàm geminam illam numerorum formam circularem, quinarium scilicet et senarium. Quorum numerorum instar Mundi cohærentiam exponunt. Primò in partes quinque illum partiuntur: nimirum cœlestem ignem, ignem æthereum, aerem, aquam, terram; eamque partitionem ad quinarium accommodant. Rursus cœlestem ignem in uagum, et fixum diuidentes, sex faciunt partes, quas senario aptant. Igitur cum hæ duæ numerorum species insignem continent perfectionem, eandem in Vniuerso reperiri censent. Quam qui uideant non indoctè solùm, uerùm etiam impiè faciant, si

Mundus perfectus extra mãque Dei opus aiunt Academici

Mundum

Mundum undique perfectum, et absolutum esse negent. Cur enim iniqui dicendi non sunt, qui extremum Dei opus, tanquam diminutum, et inchoatum accusant? Etenim si probus ille mundi artifex ob excellentem naturæ bonitatem, et fœcunditatem continere se non potuit; quin illius æterni exemplaris, quod in ipso inerat, simulachrum perfectissimum et absolutissimum, quantum fas erat in materia effingeret, non uident ii, cùm mundo detrahunt, se Dei derogare bonitati, atque illum in summam inuidiam adducere? Hæc illi, et multa alia. Nos, an hæc constare possint, uideamus. Equidem si in procreandis rebus uis requiritur infinita, quæ soli Deo attribuenda est; quomodo Mundus intelligibilis mẽtium parens à Plotino nuncupatur? quomodo Dæmones, et Animas ab eodem emanare facit? Deinde cùm idem Mundum tot rerum naturis simul formatum; tot luminibus distinctum; tam mira uarietate exornatum; tanto ordine contextum à Deo ex æternitate effluxisse dicat: non animaduertunt sese eam effectorum seriem, quam cum plerisque aliis Academicis introducunt in procreatione rerum, penitus euertere. Quomodo enim tanta Mundi moles à tot auctoribus, tot actionibus in æternitate, hoc est puncto quodam, et momento confici potuerit, intelligere non possum. Nam si multi fuissent Mundi ædificatores; ut tanta fabrica absolueretur, multo quoque opus fuisset tempore. Quòd uerò dicunt, cœlum, sidera, elementa, ipsum denique Mundum animantem, et sapientem esse, multa confingunt: cum quibus, et pleraq; alia de prouidentia, de fato, de parcis sunt cõ-

menti,

menti. Sed de his poſtea diſſeremus, nunc quod cœpimus. Vniuerſi perfectionem maximè declarat eximia illius pulchritudo. Pulcher enim eſt hic Mundus, atque à Deo pulcher iccircò eſt effectus, ut ſuaui quodam raptu præſtantiſſimam illam, atque nobiliſſimam Mundi partem, quæ Mens appellatur, ad ſe ipſum contemplandum, et amandum alliceret. Nam cùm, et ipſæ rerum formæ; et earumdem admirabilis ordo; mutuaque connexio; et denique omnium ordinum uaria propenſio, continuataq; in Deum conſpiratio, ad pulchritudinem uniuerſi pertineant; dici nõ poteſt, quantum uis iſta intelligens, in illius contemplatione, capiat uoluptatis. Equidem, ut res ipſas omittam, per quas Mens incredibili ſua ui, et celeritate intẽta, earum abditas rimatur naturas; miram illam Mundi partium diſſenſionem, et conſenſionem, cum inter ſe, tum cum ipſo præpotente Deo, qui ordo nominatur; contemplando, atque conſiderando in diuinam uſque aſſurgit naturam. Agnoſcit nanque rerum hanc Vniuerſitatem, eiusque partes concordi quadam diſcordia, admirabiliter concreſcere et contineri. Neque enim ulla eſt coagmentatio, quæ ex æqualibus, et ſolùm conſentientibus naturis conſtare queat. Nulla ex diſſentientibus duntaxat concretio. ſed diſſenſione, conſenſione temperantur partes, eaque partium temperatione gignuntur res, atq; abſoluuntur. Hæc autem moderatio quid eſt aliud, niſi proportio quædam, et ordo? Quod in ipſis uocibus perſpicuè cernitur. Eas enim modo extollimus, modo inclinamus, et intendimus, et remittimus; multaq; facimus uſque eò dum aures ipſæ, fidẽ faciũt

Mundi pfectio, et Pulchritudo.

ipsius cōcentus. Qui in uocibus omnino discrepantibus, aut penitus conuenientibus, conseruari non pōt. Vbi uerò proportionibus, et ordine temperatę fuerint, suauissimi cantus ex his erumpunt; qui mirificè nos oblectant; tantamque uim habent; ut et dolorem lenire, et augere, et ægritudines ex animis pellere, et inducere, et miris alijs modis afficere nos possint. ita ut ad furorem usque quosdam, uel inuitos adigerit, et retraxerit. Nec uerò Empedocles non laudandus in eo, quòd omnia, quæ componuntur ex disparibus, ijsdemque consentientibus naturis concrescere censuit. nihilque ex paribus gigni iudicarit. A quo non dissentit Boetius, et nos quoque assentimur. Nam si omnes Mundi partes se ipsis perfectæ essent, nulla re egerent, à qua perfectionem mutuarent. Si omnes concordi quadam ui, ex discordia non profecta sibi inuicem congruerent, Mundus ipse maximè disiunctus, atque diuulsus conspiceretur. quid? Homo fortassè pulcher alicui uideri potest, si totus oculis, quæ præstantissimæ, et pulcherrimæ corporis partes habentur, constiterit? Atque hæc ex eo ordine, qui propriam comitatur rerum concretionem, Mundi partib. accedit Perfectio. Aristoteles uerò ex eo, qui res iam genitas sequitur, nexu alteram Mundi prodidit Perfectionem. Nihil ait, quod in Mundo inest, sibi ipsi sufficere; nihil esse se ipso contentum. Multa aliunde gigni, augeri, pubescere. Omnia conseruari, et perfici putat. Hinc res cunctæ uicissim colligatæ in unā coalescere naturam, quam Mundum appellamus. Hæc ille, et luculenter sanè. Nam ut à Deo exordiamur, cùm primum rerum omnium principium sit, ab eo.

Empedocles de rerū Proportione.

Aristotelis opinio de Mundi Perfectione.

Mundi Perfectio. altera.

ab eo uitales quidam radii æternæ lucis ad res cunctas permanant.i. quædam ſimulachra idearum, per quæ omnia ſunt, ſuſtinentur, et uigent. Quarum gubernationem et curam, cùm aliter res ſeſe habere nõ poſſet, ſibi ipſi reſeruauit. Neque quemadmodum Platonicus Deus, quaſi agitentur in comediis res, Diis iunioribus eam procurationem commiſit. Sed cùm ab extremo, ad extremum immenſa eius ſapientia fortiter attingat, diſponit ſuauiter omnia; et per media procurat extrema. Ad grauiores enim prouincias, quales ſunt, quæ ad hominem, et ad hominis fælicitatem, et beatitudinem ſpectant; præſtantiores, ſublimioresque adhibet naturas. Qui, et ob eam cauſam Angeli ſunt appellati. Cælo autem utitur ad res corporeas tractandas. Quare non malè Pythagoras cælũ inſtrumentum Dei, et liram eſſe dixit. Non quòd ex ea aliquam capiat uoluptatem. Quæ enim eſſe poteſt ex rebus caducis oblectatio Deo? ſed ad res mortales uariè temperandas. Iam admirabilis ordò inde exiſtit. Primùm nanque corpora omnia, et animantia, et inanimata uim cæli percipiunt; qua ſuſtinentur, aluntur, et ad maturitatem pubeſcunt. Deinde res ipſæ inferiores, tanto beneficio à ſupernis affectæ, quaſdam ueluti gratias, et ſi non pares, illis referre conantur. Illas nanque uehementer amant, et expetunt, et earum fæcunditatem quieſcere faciunt. In qua appetitione emicat gratiarum actio quædam. Iam uerò ſuperæ ipſæ naturæ ea bona, quæ à prima acceperunt cauſa cum aliis communicando, ſummi Dei bonitatem, et probitatem præſeferunt. In quo circulo, et rerum reflexione Mundi, et eius

partium

partium posita est magna perfectio. Omnes enim cū in bonum conspirent, quod in Dei imitatione quadā consistit; illud uariè assequuntur. Corpora enim, quæ patiuntur, cùm perfectionem ab alio optent, atque expetent, sese diligere uidentur. In quo Deum adumbrant, qui se ipsum, suaque omnia immenso amore prosequitur. Naturæ uerò, quæ aliis impertiūtur bona, rerum omnium auctorem, et effectorem ali quo modo, hoc est efficiendo exequuntur. Reliqua sunt ea, quæ cùm in se ipsis maneant, neque inter agendum exeant extra se; exquisitiùs exprimunt diuini Numinis conditionem. dispari tamen modo. Nam cum à se ipsis non egrediantur ad aliud, omnē perfectionem, quam appetunt, consequuntur à Deo, Deus à se ipso. Itaque Mundus cùm opus Dei sit, neque sui aut similis penitus; aut dissimilis effici potuit. Similis non poterat, quia ille infinitus: hic aliquibus terminis concludi debebat. Dissimilē penitus construi nefas erat. quia Deus infinita sua essentia, omnes in eminentia coercet, et complectitur rerum naturas. Igitur necesse fuit, ut partim similis, partim dissimilis constitueretur. Quare cùm ille sit unus: Mundus fuit unus, et non unus. Deus unus est expers partium. Mundus unus multis constans partibus. Cùm Deus sit omnia; Mundus est omnia, et non omnia. Omnia, quæ sunt. nihil est enim extra Mundi determinationem. Non omnia; quia infinitæ res adhuc gigni possunt: Non est itaq; Mūdus hic, illius Vniuersi, quod in Deo inest, vniuersa imago, ut censuit Plato; sed imago, et simulachrum, tanquā ex parte quadam non ex toto expressum. Cùm Deus

Mūdi cum Deo similitudo, & dissimilitudo.

P sit

ſit æternus, Mundus fuit æternus, et non æternus. Etenim quia unus, æternus quoque erit. Nam repugnantem non habet, aut contrarium. Quia nũ unus, non æternus. Quandoquidem contrariis, et diſſidentibus inter ſe partibus conſtat. Eius itaque æternitas in ſucceſſione: Vnitas in continuatione, et ordine conſeruatur. Duas igitur Ideas habere Mundum oportuit. Vnam particularẽ uniuſcuiuſque ſpeciei, ad generationem, motum, propagationem in iis, per quæ non eſt Vnus. Vniuerſalem alteram, atque communem ad totius generationem, et conſeruationem. Reſtat alter Mundi nexus cum hoc, de quo agimus, ſummo bono: non ſolùm mortalib. non perſpectum: gentibus, atque nationibus inauditum: naturæ inuſitatum; verùm ipſis etiam Dæmonibus abditum, Angelisque retruſum. Etenim Deus, ut genus humanum à fero hoſte Dæmone immani ſeruitute uexatum, in libertatem uindicaret; hominem Deum effecit: ipſe homo conſtitutus eſt. Diuina nãque hypoſtaſis filii ita humanæ naturæ coniuncta eſt; ut ex duabus diuerſiſſimis naturis unus, qui Deus, et homo eſſet, ad hominem reparandum, atque Deo pẽdendas emeritas pœnas, reperiretur. Inde Mundus extremam ſui inuenit perfectionem. Quia cùm homo rerum omnium naturas in ſe ipſo arctè ſit complexus; in eodem Mundus ille, quem Deus infinita ſua natura coercet, concluſus eſt. Ex his ſatis, ut arbitror, conſtat Mundum, et abſolutum eſſe, et aptè eius partes cohærere. Cuius perfectionis imaginem ſi exquiramus; nulla magis in re, quàm in ſenario, et nouenario relucet. In quibus longè alia,

Mundi duę Ideæ.

Extrema Mundi perfectio.

Mundi perfectionis imago quædam in Senario, & Nouenario.

gè alia, quàm quæ à Pythagoreis prodita sunt, obseruarunt uiri doctissimi. Senarium primùm inter omnes numeros perfectum, et ipsi mathematici fatentur. quia ternario per binarium in unum progresso, efficitur, atque perficitur. Ita Mundus ab altissima Trinitate prodiens, atque in materia, per binarium designata, consistens, denique ad ipsum Vnum.i. summum bonum, qui Deus est, tendens, suam assequitur perfectionem. At Nouenarius omnium numerorum summus, et perfectissimus, cæteros omnes arcet; neque ab ullo, nisi ab Vno augeri potest; ut denarius fiat; qui est omnium ultimus. In eodem omnes insunt species, atque proportiones quantitatis tam primariæ; quàm consequẽtes. Longitudo, latitudo, altitudo. Perfectum, imperfectum. Diuiduum, indiuiduum. Trigonum, cubum, oblongum, plurilaterum. Æqualitas, inæqualitas. Absolutum, comparatum. Simplex, multiplex. Simile, diuersum. In spetie uerò Duplicitas, sexquialterum, triplicitas, sexquitertium. quadruplicitas, superpartiens. Diuidamus igitur Nouenariũ in partes duas; quod prisci ob imparitatis rationem, facere non sunt agressi. Nouenarius per senarium, quem mundo similem esse dicimus, replicatus in bina sectilis est uicenaseptena. In quarum utraque parte, nouenarius inuenit sese toties, quoties eius mater unitas, ingreditur in sui radicem, ut eam compleat.

Nunc uideamus, quomodo ea, quæ effati sumus, perfectionem referant uniuersi. Quatuor in Mundo sunt rerum ordines, mira quadam societate contexti. Quorum primus eas continet rerum naturas, quas

immortalitas consecuta est. Quæ in superas, cælestes, et inferas; idest Angelos, Orbes, Dæmones partitæ sunt. quarum singulæ uti diuina attestantur prophetarum oracula, nouem ordinibus distinguuntur. qui cumulatim conficiunt prima illa uicena septena: in quæ diuisus fuerat nouennarius. Alter uniuersi ordo caduca, et mortalia est complexus. Nouem.n. annumerantur mortalium rerum formæ. Elementa; mixta imperfecta; mixta perfecta; frutices; arbores; animantia imperfecta, quæ ζώοφυτα à græcis appellantur. animantia perfecta. in quibus tamen nihil supra phantasiam cernitur. denique animalia illa, quæ his supereminent; et in quibus uestigium quoddam rationis apparet. Atque hic ordo primum alterius partis nouenarium implet. Iam uerò tertius ordo paruum Mundum, Hominem nimirum concludit. Qui cũ omnes, quas modo dicimus caducas formas in se ipso coercet: tum ablegato simulachro illo rationis, quod brutorum prudentiæ apex existimatur: atque eius loco uera ratione subrogata; diuinorum, et mortalium nexus effectus, alterum implet nouenarium. Reliqua Mundi pars huius totius uniuersi principia complectitur. Quietem; rerum gigendarum perfectionem extremam; motum; qui est perfectio ad perfectionem, harmoniam, siue ordinem; ea continentem, quæ conuenerunt. accidens; consequẽs perfectionem. Priuationem; antiquissimum omnium principium, efficientem causam, formã; cuius aduentu fit quies. et denique materiam; rerum extremam: quæ omnia tertium complent nouenarium, indeque altera uicena septena conficiuntur. Multa

eiusmodi proferre possem, quibus uel maximè appareret mundi perfectio, sed ex his, quæ diximus, iam clarè elucet. Illud certè non præteream, cùm à Deo Mundus hic profectus sit, eundem, et optimum, et absolutum ab eo prodiisse. Quicquid nanque molitus est Deus; illud in suo genere uoluit esse perfectũ. Nefas enim est quicquam diminutum, et inchoatum machinari eum, qui est optimus. Vtrum autem melior, et præstãtior Mundus effici possit, dissensio est nõ contemnenda. Ego sic existimo. Deus in altissima sua natura, omnium rerum infinitas perfectiones conclu dit. Idem immensa sua ui, quæ immenso interuallo oẽm potestatem excellit; et perfectiora opera moliri, et præstãtiora præstare põt. Mundus uerò ipse, quia à Deo in lucem prodiit; ita ex se perfectus mihi uidetur, ut si uel natura, quæ in eo insit, aliqua p̃cipua intendatur; uel noua addatur uera, propriaq; pars, suæ perfectionis iacturã uel maximam facere necesse sit. Nulla nanq; principalis natura, aut incrementũ accipere, aut adiungi Mundo potest, sine ordinis euersione: quo uniuersum continetur. Quo sublato, omnẽ huius uniuersitatis perfectionem, et concinentiã ruere necesse est. Ordo enim prima est Mundi pulchritu do. Illud autẽ inficias non iuero; fieri posse, ut multæ naturarum uires, quæ proprietates dicuntur, sine Mundi detrimento crescant. Deus.n. qui rerum innumerabilium gerit exemplares formas, quarum singularum infinitæ sunt uires, potest numero, et differentiis, intensione perfectiones istas augere. Itaque cùm Deus uariis temporibus, diuersa munera rebus impertiat; aliis aliæ, quibusdã ueluti gradibus, antecellunt.

Mundus et perfectus & et pfectior effici à Deo potest.

Hinc

Hinc factum est, ut quibusdam ætatibus acerrima hominum ingenia uigere, aliis tanquam flauescere uideantur. Neque enim illis assentio, qui huius rei caussam referunt ad corporum diuersas temperationes, uariumque complexum. Fateor nanque prauas corporum affectiones, et impedire ingenium, et aciem mentis obtundere. At iuditii acuminis, ea frequenter causa est; quòd diuina idea pleniùs quis participat, citra substantiæ mutationem, non quòd uitio uacat, atque impedimento.

De Conseruatione rerum.
Cap. V.

DICTUM est de Mundi ortu, dictũ est etiam de prouidentia illa, qua huius totius uniuersi partes distributæ, et in hãc admirabilem societatem dispositæ sunt: ut iam propemodum appareant non cessare Deum; sed labentes res excipere, atque ne corruant sustinere. Quod, qua ratione fiat, inquirendum nobis est.

Deus Mundum conseruat.

Multi nanque rerum naturas, ita fluere dicunt; ut eas continenter refici necesse sit. perinde ac lumen in aere. quod semper labi, et recreari à sole affirmant. Ita aiunt; res cũctæ, cùm de nihilo à Deo sint effectæ: suapte natura, ad internitionem uergunt. Vnde requirunt perennem quandam procreationem; quæ res omnes deficientes restituat, atque continuet in natura. Qua assidua efficientia sublata: omnia in nihilum

Opinio quorũdam est res omnes fluere, easq; à Deo continẽter refici.

lum recasura esse, contendunt. Quæ sententia si uera est, inter ea, quæ perpetuò manant, et fluunt: et illa, quæ permanent, et commorantur, nihil interierit omnino. Nobis autem, non ita omnia fluunt: sed pleraque etiam manent, atque diuturnæ sunt in uno, atque eodem statu. Aliorum igitur; quibus ego quoque assentior, opinio est, rerum conseruationem, nihil aliud esse, nisi continuationem quandam primæ illius actionis; qua Deus molitus est mūdum. Hæc autem actio, licèt sit simplex in Deo, propter infinitatem; et uaria est, et multiplex in natura. Eam igitur, congruenti quodam modo explicemus. Principiò Deus in æternitate degens, immensa sua intelligentia, innumerabiles rerum naturas, quas efficere poterat, uno aspectu perspexit, atq; ad illa uoluntatem adhibuit, et direxit. Voluntas autem diuina, ex ea rerum infinitate, quædam elegit, eaque gigni aliquando uoluit, quædam uerò, nec optauit efficere, nec efficiet. Electionem subsequutum est imperium uoluntatis, quod et si in eternitate diuinam mouit creandi potestatem: tamen illam ita temperauit, ut opportunis temporibus, nulla alia noua molitione adhibita è nihilo res existerent. Quocirca hæc potestas, quæ sibi à uoluntate imperata sunt, constantissimè exequitur. inde emergunt opera, atque apparent. In qua emersione, non solùm naturam contrahunt; sed etiã (ut dicunt) duas relationes. Vna, Deum tanquam auctorem respicit. Altera infinitum illud tempus concernit, quod nos ante Mundi constitutionem excogitamus. etenim post illud res est, cum antea nunquã fuisset. Ex his omnibus constat actio illa; quam

Quō res cōseruentur à Deo.

creationem

creationẽ nominamus: nimirum intelligentia, uolũtate, imperio, poteſtate, opere, et duabus relationibus. Quorũ quędã ſunt in Deo; nec ab eo ullo modo exeũt. alia, nimirũ opus, et habitudines illæ ſunt extra Deũ.

Ex his quoque conſtat altera illa actio, quæ conſeruatio dicitur, dempta illa habitudine, qua referebatur res ad tempus, quo non fuit. Quocirca creatio eſt actio quædam Dei, per quam primùm in natura res eſt, cùm nunquam fuerit ante. Conſeruatio uerò eſt actio, per quam res, quæ iam eſt, continuat in natura. actio inquam, proficiſcens à Dei mente, uoluntate, et poteſtate illa, quæ cuncta exequitur. Quæ nihil noui tribuit rei, ſed id, quod iam habuit, ſuſtinet atque continuat. Hæc non eſt noua, ſed æterna, atque continuatio illius primæ molitionis, qua res omnes conſtructæ ſunt. Cuius rei, ſimillimum exemplum cernimus in figura, à ſigillo in aqua impreſſa. Conſignatur enim aqua primùm figura à ſigillo. eodemq; continenter inſtante, et incumbente eam omnino formam conſeruat, quam antea conſignarat.

Quid ſit cõſeruatio.

De Concursu Dei ad rerum omnium cunctas explendas actiones. Cap. VI.

SEQVITVR altera pars disputationis de prouidētia. In qua inquiritur, an tam multarum rerum, tam uarii conatus, seipsis possint in proptias operationes erumpere; an ad rerum uires expediendas, ita ut, et ad agendum appellant, et opus debitū absoluant, necessaria sit natura aliqua, mente prædita: cuius ui moueantur cuncta, atq; operentur, quæcunq; agunt: et qua subtracta otio torpescant omnia, nihil agant, nihil moliātur omnino. Peripatetici rerum conseruationē retinentes; oēm diuinam concursionem in efficiēdo, penitus sustulerunt. Deum.n.necessitate quadam naturæ ita deuinciunt: ut quæcunq; efficere possit, ea summo conatu, summisq; uiribus exequatur. Rursus infinitam Dei uim tātum imminuunt, ut eam terminis quibusdam concludant. Quare quæcunq; à Deo ad Mūdum permanant; ea omnia cœli motu, et lumine rebus impertiri censent. Constat autem, nec lumen, nec motum; cum tam uariis rerum naturis ad efficiendum conuenire posse, ut ad singulas munerum functiones obeundas cum illis cōcurrat. Sunt alii philosophi, qui quanquam eandem causarum concursionē impugnent; tñ neq; Deū libertate priuant: neq; imminuūt infinitatem. sed aliis rōnibus innituntur; quibus benè constitutam prouidentiam labefactare conantur.

Peripateticorum sententia de cōcursu Dei ad singulas rerū actiones.

Hi nanque facile concedunt, et Mundum à Deo in lucem prodiisse, et res omnes, earumque uires continenter conseruari. Effectiones uerò, quę à rerum proueniunt naturis; rebus ipsis, non Deo referunt acceptas. Si enim actionum omnium Deus auctor sit; inanes, et otiosas res ipsas esse necesse est. Quid enim agerent, aut quid in efficiendo pręstarent? Aut enim una est Dei, et alterius causæ efficiētia; aut diuersa. Si eadem utriusque est actio: una quoque erit eorum uis. cur igitur omnibus diuinitas non tribuatur, intelligi non potest. Si autem diuersa est eorum effectio: quæro, uel singulæ totum absoluunt effectum; uel suam quæque partē efficiunt. si primum respondeant; cùm altera causa satis sit ad effectum perficiendum (neque enim opera naturalia superant uires efficientium naturarium) cur requirimus Dei concursionem? Quòd si contendant uim secundæ causæ non suppetere ad opus absoluendum: sola certè poterit uis ipsa diuina. superuacanea itaque erit facultas ipsius rei, quæ agit. Deus enim cum operatur, non potest non totum effectum gignere. Alioquin quomodo eius opera essent perfecta, si alteram tantùm partem exprimit effectus? Deinde etiam si id concedatur: tamen res aliqua uel rei portio erit producta sine efficientia Dei. Tum quomodo in his, quę partium sunt expertia producentur? Neque illud dici potest: ea de causa Deum ad id agendum, quod solus posset, uelle cum cæteris causis concurrere; ut uel infinita, latissimaque patens ipsius uis non in incertum uagetur, sed ab inferiori causa tanquam in angustum redacta, sese ad cuiusdammodi opus appellat: uel ipsa

potius

potius alterius causæ uim, ad idem opus admoueat, ac perferat. Quæ enim Deo à re producta accedere efficientiæ determinatio potest? Rem autem productam quorsum ad opus faciendum extrinsecus admoueri dicamus, cum ad illud ipsum sua sponte, naturaque feratur? Illud etiam intellectu difficile uidetur; quomodo cum Deus sit æternus; tam uarias cōcursiones cum rebus ipsis in tempore facere possit. Quod si concedatur, fateri quoque oportet, Deum in singula momenta mutari. Quod qui dixerit, is mentis expers iure habendus est. Quid? si potuit Deus tantam uim rebus ingenerare, quæ possent ipsæ ex se ipsis agere; nonne inuidia illum accusant, qui dicunt eam non esse collatam? Quid enim impedimento esse potuit, ne imprimeretur? Ad singula nanque obeunda opera, uis requiritur definita, quæ à Deo cunctis impertiri potest. Deinceps qui contendunt in singulis operationibus Deum interuenire, ii non sentiunt sese, et modum efficientium causarum perturbare, et earundem ordinem, et nexum euertere. Quomodo enim fieri pōt, ut summa et uniuersa causa singulares producat actiones? Quæ autem connexio causarum in hoc concursu erit: cum ea non nisi in quodam ordine consistat; qui in hac efficientia ne fingi quidem potest? Hæc, et multa alia eius generis adducunt; quibus hanc Dei concursionem euerti penitus putant. Quorum cum hæc sit sentētia, cur iidem Deum rerum ad agendum promptarum effectiones impedire non posse, non dicant, haud uideo. Disputatio pro Dei cōcursu.

Hoc autem si dicerent, et Deum libertate priuarēt, et imminuerent uim eius infinitā. Sed nos pro Dei

libertate, et eius infinita ui, alio loco contra Peripateticos acerrimè pugnauimus. His itaque utentes principiis, rursus sic exordiamur. Cùm Deus summè liber sit, et infinitè potens, poterit etiam omnia efficere, quæ fieri, et esse naturæ nō repugnat, et quæ se ipsa non tollunt. Iam uerò rem ad opus faciēdum quasi adiunctam, à Deo impediri ne agat; neque nouū est, neque naturæ repugnans. Legi enim frequenter, et solem diuino iussu à motu cohibuisse: atque eidem ne Mundo illucesceret obstitisse: ignemque ab incensione reuocasse, et aquis, ne fluerent, imperasse. Nimirum, ita se res habet, ut possint naturæ constare, sine actione: cum quadam tñ ad agendum ui, et habilitate. Quæro itaq; si causa ad agendum apta, et prompta sit: si omnia, quæ requiruntur, adsint: si quæ impediunt, uel obstant, remoueantur: quomodo Deus, illius effectionem impedire possit. Neque enim, uel rerum uires infringit; uel eas immutat: uel aliquid eripit, quod ad opus moliendum necessarium sit. His enim omnibus integris, et incorruptis quærebamus; quomodo obsistere possit Deus causæ efficienti ne agat. Igitur uel aliò auertet actionem: uel aliquid afferet, cuius interpositu, atque interiectu actio à causa non proficiscetur? Sed si hoc uerum est, quomodo impedire poterit incorporearum rerū actiones: quæ, ut peragantur, neque motu egent, neque extra huiusmodi causas prodeunt? Si obex aliquis interponatur: sciscitor, quod nam impedimentū afferet? Nanque uel est contrarius efficienti ui, uel illi non repugnat. Si contrarius: causæ uim, quàm nos integram ponebamus, labefactabit. Si autem

Deus naturalibus causis obstitisse ne agerent, et quō.

repugnans non est; sed tantùm diuersus: quomodo aget, uel impediet causam efficientem? Illud autem, quod summum in hac quæstione mihi uidetur, quodque conuincere procaces potest; est, quòd Deus se ipso, nullius alterius rei interuentu; potest reprimere effectionem rerum omnium. Cùm enim consentiant, asserri posse aliquod impedimentum per nouam Dei molitionem; negabunt fortasse id per se ipsum facere non posse? Respondeant itaque quomodo tum obsistet Deus? Nullo igitur alio modo intelligi potest Deum efficientiam rei præpedire: nisi rebus subtrahendo opem, quam illis, ut agant, impertitur. Et sine qua otiosa essent in natura. Quod et Propheta diuino permotus spiritu illis uerbis significauit:

Et auertente te faciem omnia turbabuntur.

Huius rei non est magni negotij causam afferre. Si enim Aristoteles ita de anima philosophatur, ut eam censeat à materia immunem; si actionem habeat aliquam ab eadem penitus solutam, et liberam: mortalem uerò agnoscat; si nullam eiusmodi habeat effectionem: Cur, et nobis id non licebit affirmare? Nempè si sit rei alicuius aliqua actio, quæ à Deo non pendeat: esse quoque naturam aliquam, quæ à Deo non manarit, et conseruetur semper? Atque eò magis id nobis affirmare licet. quia si actio à materia non pendens, liberat formam à contagione materiæ. à qua potius, quàm ab efficiente causa res caducæ, et mortales conseruantur. Cur quæ natura Deo non eget ut agat; eadem Deo egebit, ut sit perpetuò, quicquid est? Profectò ubique præsens, et præpotens Deus

cuncta

cuncta mouet; atque ad agendum impellit. ita ut, et ipse primus sit omnium actionum effector: et res ipsæ, quæ agunt, uicem quandam subeant instrumenti. Quocirca quæ ab ipsis prodeunt pleræque omnes operationes; et Deo tanquam primæ causæ; et rebus ipsis, quasi quibusdam instrumentis tribuendæ sunt. Id quod, et ordo causarum, et nexus maximè declarat. Qui nulla alia ratione conseruari potest; nisi vna causa alteri subijciatur. Hunc efficiendi modum, qui tollit, tollit et bene constitutam seriem causarum. Cur enim infinitè in causis progredi non licebit, si nulla est illarum in efficiendo colligatio? Naturæ quoque operis uehementer repugnat, ut à duabus efficientib. causis proficiscatur. quarum una quæ inferior est, à superiore ad operandum non excitetur. Qui uerò alium adhibent, præter eum, quem nunc retulimus; causarum concursum ad agendum: et in ea, quæ antea diximus incommoda; et in multa alia, uelint, nolint, incurrant necesse est. Sed iam quinam sit hic Dei cum aliis causis ad agendum concursus explicemus. Tria sunt genera causarum, quæ in efficiendo utuntur instrumentis. Primum eas complectitur, quæ admouent instrumentum operi: ipsæ uerò nihil efficiunt. Eiusmodi sunt omnes magorum effectiones. Alterum genus eas continet, quæ non cōiungunt instrumenta rebus; sed ipsæ conueniunt ad producendos effectus. Quemadmodum cælum generare, et uitæ expertia, et animantia dicitur. in quorum tamen generatione id, quod causas coniungit, est animalium quędam libido, et delectationis appetitus. Tertium genus eas comprehendit; quæ, et causas

Quō Deus cum rebus ad agendū concurrat.

operi faciundo admouent; et ad illum ipsum uim quãdam ipsa afferunt, atque expromunt. Quo in genere Deus ipse censetur. Qui cum res omnes procreauerit; illis quoque quasdam ingenuit naturæ propensiones: quarum tanta uis est, ut res applicent ad agendũ. Has propensiones nihil esse aliud, quàm uires rerum ipsas, atque potestates, à nobis alio in loco accuratè est disputatum. Igitur rerum naturæ his, quæ diximus, affectionibus sua sponte adductæ; promptæ, et expeditæ ad agendum redduntur. Neque tamen adhuc operari possent; nisi ipsemet Deus causis inferioribus hunc ad modum paratis, atque intentis, suæ uoluntatis, qua una omnia effecit; efficientiam adiungeret, effectumque in lucem euocaret. Itaque propensiones rebus impressit Deus, quibus ad agendum ducerentur. Vim autem eam, qua se ipsis agere possent, ingenerare nefas fuit. Si enim tantam potestatẽ rerum naturis tribuisset; qua instructæ se ipsis opera absoluerent: illud quoque unà præstitisset; ut à nulla superiori causa in efficiendo penderent. At quod aliũde, ut agat, nullo modo pendet; ne ut sit quidem, pendeat necesse est. Quod autem tale est, infinitum quomodo non erit? Igitur cùm Deus tantam rerum infinitatem, et imbecillitatem; qua necesse, nec sustineri; nec agere se ipsis poterant, animaduertisset: eadem bonitate, qua cuncta creauit, et conseruat, uoluit ne ociosæ, et sine actione rerum naturæ in Vniuerso torperent, cum omnibus ad agendum cõuenire.

Quare nec cessat Deus, nec ea, quæ agit cum labore operoso, et molesto procurat. Et licet tam uariis, et temporibus, locisque disiunctis, omnium generum

actio-

actionibus, præsto semper sit: nusquam à se ipso exit, aut mouetur: sed æternitate, atque infinitudine nixus, ueluti mole quadam sua, ut ille inquit, stat, et cohæret. perque uniuersum Mundum intentus, ubique præsens cunctis adest; et rerum naturis intimior est, quàm res ipsæ sibi ipsis. Per omnia tranat, in abditissimisque rerum tanquam recessibus quasi infusus, cuncta agitat, et ciet in omnibus. Omnia uerò, et sunt, et sustinentur, et agunt; quoniam cuncta in Deo sunt inclusa. Ex his iam cōstat hanc, de quo modo locuti sumus, Dei concursionem, multa in se ipsa concludere. Principiò diuinam quandam uim. Mox causam ipsam, quæ operari debet: et in qua uis quædam agendi inest, et ad efficiendum propensio. Et denique ipsius usus instrumenti. Ex quibus illa proficiscuntur, opus, ordo, et relatio operis ad instrumentum: ordo operis ad Deum: et denique mutua relatio inter Deum, et instrumentum. Hæc est illa Dei uis, quæ à Theologis Vninersalis potestas nuncupari solet. Quidam uerò Philosophi, qui eam, quasi subodorati sunt, Naturam nominarunt. Et mea quidem sententia præclarè. Quid enim est aliud natura, quàm ut quidam imprudenter definierunt, primum principium ciens motus in Mundo necessarios? Quid autem in Vniuerso esse potest principium primum, nisi ipsemet Deus? Omnis igitur Mundus diuina ui continetur. Omnia ab eadem excita suas peragunt operationes. Hæc igitur, quæ dicta sunt à nobis; si ab iis, qui omnia à naturis particularib. fieri censent, diligenter animaduersa fuissent, maiori certè ueneratione, et amore Deum prosequuti essent.

Illud

Illud iactare desistant, quòd reliqua sine actione iacerent, si omnia Deus efficeret. Neque enim is ego sum, qui putem ita à Deo omnia confici, ut res aliæ nihil agant omnino. Arabes hæc uiderint, et multa alia.

De Fato. Cap. VII.

FATI vis à ueteribus uario assensu excepta est. Academici Fatum censent esse dispositionem quandam Animæ mundi, qua cuncta dispensat, et moderatur, in congruentesque fines conuertit. Quæ sententia superiùs à nobis confutata, longiorem non desiderat orationem. Proclus Numen quoddã sublunare introducit; quod rerum mortalium generationibus, et mutationibus p̃esse facit. Huiusque leges dicit esse fatales. At quod isti sublunare Numen uidetur, nobis est Natura generans, et mouens. sed neque Naturæ par esse potest hoc sublunare Numen, neque Fato. Natura enim per vniuersum intenta, omnia tranat, fatalesque leges ubique explicat. Peripatetici autem Fati uim, intra naturæ particularis terminos concludunt. Et quæ ab ea exoriuntur, Fato et necessitate fieri putant. Reliqua Fati legibus soluta à uoluntate libera prouenire arbitrantur. Multi siderum uim, cęlique efficientiam Fatum esse definierunt. Propterea quòd ab iis putẽt ita cuncta moueri, et fieri; ut nihil sit, quod à stellis non gignatur: nihil agat, quod ab iisdem ad agendum non sit impulsum. Quorum sententia mihi impia videtur. Quid enim iniquiùs, quàm mundi imperium

Academicorum senten tia de Fato.

Procli sentẽtia de Fato.

Peripateticorum sentẽtia de Fato.

Quarta sententia de Fato.

Deo eripere, tribuere astris? Quid inhumanius, quàm hominum mentes stellarum nomine commotas, ingenti timore perterrefacere? Sed quod ferendum minimè uidetur; humana omnia, atque è diuinis multa, stellarum uiribus subiecerunt? Verùm hac de re alio

Fatũ qd sit. differemus loco. Nunc Fatum ipsum exponamus. atque tali quodam modo. Prouidentiam, diximus antea admirabilem esse continuationem, seriemq; rerũ, quæ aliæ ex aliis nexæ, et omnes inter se aptæ, colligatæque in diuina Mente simplicissimè continentur. Fatum uerò est, communis prouidentiæ exquisita proles, et imago absolutissima, in mundo, eiusque partibus impressa; quæ omnia secundis causis subiecta continet, atque suis quæque nectit ordinibus. Quæ enim Deus in æternitate decreuit; ea fatalis ordo suis exequitur temporibus. Indeque Fati nomen ductum est, quasi effatum quoddam sit, per quod Deus ea, quæ in æternitate destinarat; in tempore intelligentibus patefacit. Igitur, quæ Fato subsunt, Prouidentiæ subiecta sunt; cui, et ipsum subiicitur Fatum. Fato quoq;

Fato quæ subiiciãtur. omnis expletur actio, et motio cæli, siderum, elementorum, mixtorum, plantarum, animalium. Homo uerò, etsi Fati ordinem, et communem prouidentiam non respuat, eius tamen uoluntas à Fati lege soluta, et libera particulari quodam consilio gubernatur. quod et Apostolus illis uerbis nobis significauit:

Nunquid de bobus cura est Deo?

Sed de hac particulari Prouidentia, quæ nullis Philosophis cognita, aut perspecta unquam fuit, agemus postea. Nunc quod cæpimus uideamus, atque necessitatem, quam in communi prouidentia, et Fato

poni-

ponimus, quæ nam sit, et qualis consideremus.

In primis inficiandum non est ea, quæ diuina prouidentia continentur, in aliquod, quod Vniuersi bonum extremum sit necessariò conspirare. Eamq; rerũ colligationem, ita contextè effectam esse, ut nulla ui, aut solui, aut disiungi queat. Fatum quoque siue ad prouidentiam conferatur, siue in rebus, quas cõtinet, et in quibus inest, diligẽter spectetur: cùm communis prouidentiæ simulachrum sit absolutum, eandem necessitatẽ assequitur. Etenim res secundis causis subiectæ; tam concordi lege deuinctæ sunt, ut suaui quodã astringantur naturę uinculo. Deus nanq; ita res cunctas moderatur; ut neque earum peruertat naturas, neque ordines perturbet; nec denique necessitatem aliquam præter eam, quam singulæ à suis duxerunt initiis, rebus imponat. sed Mundo quasi senescenti consulit, atque prouidet; ne eius partes de suis quasi stationibus decedant. Itemque omnibus statuit naturis amicum, et consentaneũ, quo spontanea sponte agũt: reliqua uerò particularis naturæ leges in agendo sequantur. Quocirca quę longius abscedunt à Deo, cũ mutationibus magis sint obnoxia, arctioribus Fati legibus uinciuntur. Quæ uerò ad diuinitatẽ accedunt propiùs, et constantiora sunt, et à Fato soluta magis.

Quæ cùm ita sint, cur tam insanè, ut quandoque furere uideamini, diuinam carpitis prouidẽtiam? Atque illud è mundo tollitis; quo sublato magnam in Vniuerso sequi perturbationem, et confusionem necesse est? Fatum (inquam) huius totius Vniuersitatis vinculum. ex quo eximia pulchritudo, insignisque ornatus profectus est? Neque deterreri nos oportebat,

Fatalis necessitas.

Quænã magis Fati legib. teneantur.

Confutatio argumentorum contra diuinã prouidentiam, q̃ antea recitata sunt.

neque ſuſpicari, Fato in naturam introducto, et mala diuino perpetrari conſilio, et libertatem humanam euerti, atque unà excellentiſſimam omnium uirtutem tolli Iuſtitiam. Neque enim is ego ſum, qui mentem hominis uoluntate libera ſpoliatam, neceſſitate deuinciam; ut nihil liberum illi relinquatur; nihil poſitum ſit in eius poteſtate. ſed qui dicam, ea ſolū Fato ſubiecta eſſe, quæ cauſis ſecundis ſubiiciuntur. cuiuſmodi non eſt hominis liberum arbitrium. aſſeramque nihil in mundo eſſe fortuitum. nihil, uel caſu, uel temerè fieri. omnia à Dei prouidentia congruenti rebus modo, pulcherrimè regi, et adminiſtrari. quo, et libertas homini integra conſeruetur, et dubius rerum euentus in neceſſitatem non commutetur. Mala autem in Vniuerſo ſi prouidentiam ſpectemus, quæ eſſe poſſunt? Mundo mala cedunt in bonum. Fatalis enim ordo icci rco cuncta complectitur, ut quæ ab uno boni ordine decedunt, in alium continuò recidant: ne Dei prouidentia temerè fluctuare uideatur. Cumque neceſſitate Deus potuerit res omnes ad agendum uel inuitas urgere, et aſtringere; uoluit tamen illis modum præſcribere. Magis enim facit ad Vniuerſi perfectionem, agere ſecundum propriam naturam; quàm ab externa cauſa ad efficiendum impelli. Quamuis autem hi rerum euentus ancipites ſint: tamen ſua inconſtātia, diuinam cognitionem effugere non poſſunt. Perſpexit nanque Deus in æternitate abſtruſas rerum omnium naturas. Cernit etiam, et quæ illis adiuncta ſunt, et impedimenta omnia, quæ earum actioni poſſunt obſiſtere. Quibus animaduerſis, rerum dubios euentus, certos ſibi facit. Neque etiam aliqua in

Mala abſolutè nō ſūt in Mundo.

re Fâto uiolatur Iustitia; quòd uideamus frequenter malos benè affici: iustos uerò aduersa uexari fortuna, et quandoque utrosque modò miserè agere, modò beatè. Hæc temerè frequenter interpretantur ob hominis uariam, multiplicemque naturam: quòd malos iustos existimemus: probos uerò iniustos arbitremur. Si qua uerò non falluntur mortalium iudicia, multis de causis hæc à Deo fieri uiri pii, sanctitateque præstantes tradiderunt. Inter quas, prima illa est, quòd Deus, et bona, et mala hominum moribus, affectibus, appetitionibusque metitur; atque, quę illis consentanea sunt, ad eorum animos accommodat. Quorum multa cum nos lateant; magna diuinæ prouidentiæ humanis mentibus oritur admiratio. Aliquando Dei, et hominis sunt aduersa iudicia. Etenim

Victrix causa Deis placuit, sed uicta Catoni.

Bonis autem quibusdam impedit, ne aduersa contingãt; tum ob animi infirmitatem, ut attestatur Paulus.

Fidelis enim est Deus, qui non patitur uos tentari ultra id, quod potestis.

Tum ob uitę innocentiam, morumq; integritatem. Iisdem à Deo impertiuntur bona; quoniam, et eos diligit, et amici illius sunt, atque per eos reprimit peccandi licentiam, et improborum audaciam retundit.

Calamitates autem iis immittit, aut ad moderandã animi fiduciam; aut ad confirmandas uirtutes: ut inde eorum merita magis crescant; et quid ipsi, aut sint, aut agere possint, agnoscant. Timent enim alii, quæ ne metuenda quidem uidentur. Despiciunt multi, quæ formidanda sunt. Iniquis mala eueniunt; tum, ut malefactorum luant pœnas, atque his edocti,

quænam

quænam ad benè, beatæque uiuendum, eos facere oporteat, intelligere possint. Quorum etiam exēplis reliqui deterreantur; à malis abstineant, uitāque appetant innocentem. Bonis iidem frequenter afficiuntur, ut agnoscant iusti in uoluptatibus, diuitiis, et iis, quæ fortunæ bona nuncupantur, simulatam fœlicitatem positam esse. Adde, ne si his destituantur externis bonis, ad maiora scelera perpetranda animos appellant. Sed tot beneficiis deliniti, tandem infringatur malorum improbitas. Quod si pietatem colere recusent; acerbiores casus experiantur. multi nanque.

Tolluntur in altum

Vt lapsu grauiore ruant.

Si qui uerò mali ad sceptra usque extolluntur, id fit, ut et boni in quadam animi exercitatione contineantur: et (quod diuinæ prouidentiæ ingenti miraculo ascribendum est) ut mali puniant malos: et iniusti malorum tyrannide oppressi, pœnas dent malæ anteactæ uitæ.

De Fortuna. Cap. VIII.

Vulgi Opinio de Fortuna.

FORTVNAM tanquam diuinum quoddam Numen, et ueluti Mundi Deam plurimi coluerūt. Etenim uox illa Vulgi magno clamore excitatur. *Sed te.*

Nos facimus Fortuna Deam, Cęloq; locamus.

Illi autem et diuinos exhibebant honores, et cultus. quòd precibus Deæ gratiam sibi conciliari putarent. unde, et uoluptates, et diuitias, et honores expectandos

dos sibi persuadebant. Alii, quòd uitam miserè traducerent, Deæ nomen maledictis insectabantur, lacessebant, accusabant, dilacerabant. Quos ut egregiè notaret Vates Herruscus, Fortunam sustulit in cælum, eique orbem, quem uolueret, ascripsit; sub una luna positum, terrisque proximum. Quem innumeris distinxit luminibus, à quibus bona singula ad mortales permanare facit. Eius motum non quemadmodum cœlestes alii, æquabilis, constans, certus: sed uarius, inconstans, fortuitus Deæ lumina, adeò temerè mortalibus ostentat, ut frequenter eodem momento, ea et mittat, et subripiat. Ab his omnia externa bona ignaris hominibus deducit. Quibus, qui spoliati sunt; eosdem Fortunæ luminibus carere affirmat. Sed missa hæc faciamus. Philosophos nos audire oportet; non ignaros, uulgaresque homines. Academici inter quos Proclus, Fortunæ naturam adumbrarunt. Fortunam aiunt, non temerariam esse, uel cæcam, sed diuinam quandam, aut Dæmonicam potestatem, in unum exitum diuulsas causas congregãtem. Ideo ubi fortuitos commemorant euentus, Dæmonũ frequenter nomen inculcant. Dæmones.n. credunt, occulta quadam persuasione, quam afflatum appellant, homines huc, et illuc impellere; ut denique alicubi conuenientes, uel sibi inuicem, uel tertio euentus pariant inopinatos. Illis quidem subitos, et improuisos, superis uerò in æternitate perspectos. Interdum autem aiunt; non mouere animos Dæmones; sed ipsis uoluntariè motis, uti ad euentum aliquem hominibus improuisum producendum. His itaque ipsi Fortunam, non ineptè, designarunt. Etenim

Academicorum sententia de Fortuna.

Fortuna quõ oriatur, et quid sit.

diuina

diuina prouidentia ſub ſe conſtituit ſeriem cauſarum. per quas, quæ prouidet, ita procurat: ut omnia ante cernat, præuideatque finem, in quem ceſſura ſunt: Hic autem finis, et rerum exitus inferioribus cauſis frequēter eſt ignotus; quamuis illæ et ad hos effectus pariendos conueniant, et eos moliantur, et efficiant. Vbi igitur, quæ dictat, uel incorrupta natura, uel recta ratio, excipimus, atque operamur; uix ullus relinquitur Fortunæ locus. Sed ſæpenumero contingere ſolet, cum ob naturæ imbecillitatem, tum ob iudiciorum infirmitatem: homines à recta ratione diſcedere: tum quaſi fatiſcente eorum ui, et ad agendum intelligentia; in illius locum Fortuna ſubit. Itaque, quæ conſtantiorem naturam, et uim conſecuta ſunt; eo minus Fortunæ legibus ſubiiciuntur. Quod et à Platone in Reipublicæ libris eſt animaduerſum. Neque enim inquit, medicus aberrat, ſi arte utatur probè: nanque tum recta uetetur ratione. quare non aget fortuitò. ſi quid uerò aberrat, fortuna, non arte, aut ratione in errorem adducitur. Prudentia igitur excludit Fortunam. Fortuna temeritati amica, rationem cognitionemque reſpuit. Itaque fortuna eſt cōuenientia quædam plurium cauſarum (ſiue eæ ſint temporibus, locisque diſiunctæ; ſiue eodem tempore, et loco congrediantur) ad aliquem pariendum effectum hominibus inopinatum: Deo autem apertum, et cognitum. Oritur autem fortuna primùm à diuina prouidentia, et uoluntate. eaque deinde per inferiores explicatur naturas: cœlum, ſidera, elemēta animata, inanimata, homines. quæ inſtrumēta ſunt diuinæ prouidentiæ. Sub Prouidentia Fortuna continetur.

Vnde oriatur Fortuna.

Fortuna eſt ſub Prouidentia.

netur. Prouidentia nanque diuina omnia regit, cuncta procurat, et administrat. Inde nihil illius consilio euenit repugnans: adeò, ut etiam quæ prodigia, portenta, ostenta, auguria dicuntur, diuinum sequantur ordinem, atque propositum. Quare nihil absolutè in mundo inconstans, nihil inanè, nihil temerarium. Multa uerò uaria, fortuitaque hominibus uidentur, quoniam efficientium causarum concursus, ex quibus talia prodeunt, antea nòn animaduertunt. Homo nanque cùm corpore constet, et animo; animus uerò intellectu, et uoluntate sit instructus: corpus per sidera gubernatur; intellectus, autem et uoluntas, cum ab angelis, tum à Deo. sed dispari quadam ratione. Angeli enim nostris animis multa obiiciunt, quæ, et nos instruere ad rerum cognitionem, et uoluntatem permulcere, et ad benè, beateque uiuendum allicere possunt. Deus autem, tũ rationem, tum uoluntatem nullo medio excitat, et inclinat. E cœlo autem quædam contingunt. Ab angelis multa deriuantur. A Deo plurima emanant. Hæc etsi summa sapientia, admirabiliq; diuinæ prouidentiæ consilio fiant: tñ, cùm eorum causæ occultæ sint, et delitescentes, ea homines in Fortunã tanq̃ in parentẽ referunt. Homo igit̃ fortunatus rectè dr̃, cùm à siderum temperatione bonum coporis habitum, ad mores, iudiciumq; idoneũ sortitus est. Cũ ab Angelis occultis quibusdã piisq; animi cõmotionibus ad benè beateq; agẽdũ permouetur et incitatur. Beatior uerò, q̃ à Deo rectã consequitur uoluntatẽ. Ex his cõstat hominẽ suæ Fortunę oĩo auctorẽ esse nõ posse. Nã etsi q̃ à cęlo illi imp̃ssa sunt, cõsuetudine, et moribus mutare

Quisnã sit Fortunatus

Homo non est suæ Fortunæ auctor.

S facillimè

facillimè possit; amicasq́ue Angelorum persuasiones respuere,) Quod de Babilonia fertur in sacris eloquiis Angelorum curam negligente) multa à Deo immissa repudiare, iisq́ue obsistere queat: tamen, quod ad apicem attinet fœlicitatis, mutari nulla ratione potest. Itaq; uera beatitudo optanda, et exquiréda est à Deo.

De Antipatia, et Sympatia rerum. Cap. VIIII.

INTER diuinæ prouidentiæ opera, quæ sparsa in Mundo cernimus; admirabilis est illa rerum cognatio, quã Græci Sympatiam, et Antipatiam appellant. Illi nánque πάθος affectum omnem, sine sensu etiam, intellexere. Quare Sympatiam, communem quandam affectionem rerum esse, arbitrati sunt. Antipatiam uerò, contrariam affectionem esse censent. Latini Sympatiam modò consensionem, continuationem, concentum, conuenientiam, cognationemq́ue naturæ: modò concordiam, amicitiamq́ue rerum sunt interpretati. Antipatiam, dissensionem, discordiam, repugnantiam. Et quidem luculenter. Ea Nanque naturæ conuenientia, quæ ferrum inter atque Magnetem uersatur, Sympatia haud rectè dici potest. Nec enim Magnes patitur. Si autem contremiscat leo galli aspectu, Antipatiam inter eos esse existimandum non est. Gallus nanque nihil patitur, sed terrorem incutit Leoni. Hæc de nomine, rem ipsam uideamus

deamus

deamus. Rerum consensio nihil est aliud, quàm cognatio duarum naturarum, quæ miris modis conueniunt in unum. Etenim sic paleæ natura cum electro continuatur; et ferri cum lapide Herculeo, ut fiant unum. Quomodo autem duæ disiunctæ res, in unum coire, continuarique possint, dissentiunt inter se philosophi. Multi aiunt duas assentientes naturas fieri unam, per coniunctionem formæ utriusque. Coniungi uerò has formas, quia ita se promoueant, et propagent, ut exeuntes etiam in mediis interuallis congrediantur, atque concurrant. Quorum sententia si uera est, cur etiam aerem non dicant, et ferrum, et Magnetem, et Pyritem, et Leonem, et Gallum, et hominem, intelligere non possum. Cùm enim inter hæc consensus quidam, atque dissensus intersit, ut expleri possit, opus est continuatione. quæ, ut ipsi dicunt, fieri non potest, nisi per egressionem formarum, quæ occurrentes in media intercapedine coniungantur. Erit itaque plenus aer exeuntium formarum hùc, et illùc concursantium, et commeantium. Igitur ab iis formabitur aer, uel eæ erunt separatæ, ab omnique materia segregatæ. Quo nihil potest dici absurdius. Illis quoque assentiri non possum, qui dicunt cōtinuationem hanc fieri; quoniam uires quædam exeunt è rebus, atque eæ in medio interuallo sibi occurrentes, coeunt in unum. At hoc, quid est aliud, quàm accidentium egressionem in naturam inducere? Quid autem tali egressione magis abhorruit philosophia? Itaque nullo alio modo fieri potest hæc, de qua loquimur, naturarum continuatio, nisi per specierum impressionem. Imprimuntur

Rerum cōsensio, et dissēsio qd sit.

Quō fiat cōtinuatio duarum naturarum.

tur autem rerum imagines per præsentiam rei, quæ ta lia efficiendi uim obtinet: quo etiam modo generatur lumen. Eoque modo distantes afficiuntur naturæ, pelluntur, permulcentur, alliciuntur, trahuntur, auertuntur. De causa autem efficiente huius consensus rerum, atque dissensus, nulla ferè uidetur inter philosophos constans sententia. Sunt qui existiment esse generum quasdam contrarias differentias: ex quibus inimicæ species oriantur. Quæ, etsi inter se uerè contrariæ non sint: eas tamen principia quædam ad contrarias actiones peragendas, consequuntur. Hinc Leonis et Pardi, Delphini et Hamiæ, Canis et Lupi, Hominis et Viperæ inimicitiæ graues, atque dissidia ortum ducunt. Consensionem uerò ex conuenientibus principiis, quæ in diuersis rerum naturis insunt, deducere conantur. Quo loco conuocandæ etiam uidentur causæ illæ, quas à fine sumit Aristoteles ob loca, ob pabulum, ob paratam noxam, ob venerem.

Causæ consensionis, et dissensionis rerum.

Sed ualebunt quidem hæc, quæ isti adducunt, cũ ad res uitæ expertes, tum ad bruta animalia miris assensionibus coniungendas, atq; dissensionibus auertendas. In quibus hæc principiorum, finiumq; consensio, atque dissensio cernitur. Hominem certè non attingent. Nullæ enim sunt generis uires, et differentiæ, quæ non omnibus hominibus æque sint impertitæ. Alia itaque ratio huius assensus, atque dissensus in hominibus excogitanda est. Principiò itaque hanc, de qua loquimur hominum consensione, à siderum actione deriuari censeo. Quorum uis excellentior est, quàm uel Magnetis, uel Pyritis, uel Electri. Est.n.inter cœlum, et mortalia assensus quidam naturæ

Ex quibus causis dissensio atq; cõsensio natura inter homines oriatur.

ra multis partibus sublimior, quàm inter mortalia ipsa cernatur, de quo alio loco dicemus. Ab hac, quæ Cœlo oritur hominum conuenientia, admirabiles prodeunt effectus. Multa efficimusque, quæ cur agamus, ne ipsi quidem animaduertimus. Sæpe.n. solùm audito alicuius nomine, rapimur ferè inuiti ad illũ amandum, et quos nunquam uidimus, odimus frequẽter. Hæ autem uires, quæ à Cœlo mortalibus tribuuntur, ex progenitorum similitudine, et disparitate: ex complexu corporis uario: ex aere quem spiramus: ex diuersa educationis ratione: ex morum uaria compositione: ex ingenii uirtute; et denique ex eo quod idea non uno modo participamus, et adiuuari, et mutari, et retundi possunt. Hi sunt igniculi quidam animi, primæq; causæ amoris, et odii, quos assensiones, et dissensiones naturæ consueuimus appellare.

NICOLAI CONTARENI IOANNIS GABRIELIS FILII PATRITII VENETI.

De Angelis. Liber Tertius.

AD VIRVM AMPLISSIMVM Leonardum Donatum.

De Productione, & Natura Angelorum. Cap. I.

EX HIS, quæ de Vniuersitate antea à nobis disputata sunt: eā Dei imaginem ostēdimus, quā, et exprimere nefas est, et adumbrare difficile. Etenim mundi ortus diuinæ naturę infinitatem, et æternitatem præsefert: atque illius immensæ bonitatis speciem quādam referre uidetur. Eiusdem uerò conseruatio, rerum infirmitatem ostendit, quę ne momento quidem subsistere possent: nisi ipsemet Deus, per omnia intentus, ipsas ne ruerent, sustineret. Rursus Dei Prouidentia, et Fatum; quo res cunctæ procurantur; simulachra sunt diuinæ sapientiæ. cuius ui, ita rerum omnium naturæ suis ordinibus continentur: ut ea è Mundo sublata, huius totius uniuersi

uniuersi magnam perturbationem sequi, necesse sit. Fortuna autem humani ingenii proles deterrima, nostram indicat imbecillitatem. Quomodo igitur terminatio infinitatem: potestatem, infirmitas: summam sapientiam, extrema ignoratio exequetur? Nulla inter hæc paritas, nulla exquisita similitudo cõsistit. Sed cùm hęc perfectè referre non possimus, cur non saltem conabimur imitari? Imitari autem quì possumus; nisi antea uestigia diuinitatis contemplati, quid nobis sequendum sit, quidve fugiendum præstituamus? Verùm inter omnia opera, quæ Naturæ auctor molitus est: nullum clarius emicat, intelligẽti illa natura; quam Theologi Angelicam ab officio nũcuparunt. Cuius naturæ conditio, perfunctiones, affectus, simillimam omnium Dei speciem nobis ob oculos ponunt. Hanc itaque primùm consideremus. Est enim Vniuersi præstantissima quædam pars, eademque præclarissima, atque prima. Illud autem primum inquirendum est. Creati ne fuerint Angeli à Deo: an nullam habeant causam efficientem. et si producti à Deo sunt, fuerint ne in æternitate procreati: an unà cum mundo emanarint ab ipso: an, quod in hac quæstione reliquum est; quodque nonnulli uerisimilius esse contendunt; nec æterni sint Angeli, nec cum mundo geniti: sed innumeris penè seculis, vniuersi anteierint productionem. Peripatetici, dum quid eorum princeps senserit Aristoteles ambigunt: et acriter inter se pugnant, et in uarias distrahuntur sententias. Alexander hac in re, ab Aristotele non dissentiens, omnem cæli et mentium singularum respuit auctorem. Reliqui ferè omnes contra dixere. Oritur

Angelus præstantissima Mundi pars.

Peripateticorum opinio de ortu mentium.

magna

magna altercatio. quæ adhuc dirempta non est.

Confutatio sententiæ Aristotelis.

Nos contra ipsos multa diximus in iis, quas de mundo habuimus, disputationibus. Nunc unum addemus, quod rem propriùs attingere uidetur. Deus causa est sine causa. et quia est sine causa; iccirco omnium causa est. Quod ea concluditur ratione; qua Dei infinitatem comprobauimus. Etenim si diuina natura omni caret causa efficiente: nullam quoque habet causam, quæ illam terminet, aut quibusdam ueluti essentiæ finibus concludat. Erit igitur infinita. Quod ubi audiuimus, naturam quandam cogitamus, suo ambitu innumeras perfectiones, atque infinitos rerũ gradus coercentem. Extra quam quidquid esse potest uspiam, ueluti illius quædam pars intelligitur: intra unius singularis ideæ terminos, limitesque conclusum. Producti itaque sunt Angeli à Deo.

Vtrum Angeli sint Mũdo antiquiores.

Vtrum autem in æternitate, uel unà cum mundo emanarint: aut, ut monuimus antea, longis temporum interuallis, mundi anteuerterint constructionem, magna fuit dubitatio. Etenim nonnulli Theologi pii, doctique uiri: Origenes, Basilius, Nazianzenus, Hieronymus, Damascenus, Angelos antiquiores mundo faciunt: non tamen æternos. Idque ea adducti ratione affirmant. quòd ij magis ad diuinam uim accedũt, quàm eorum quidquam, quæ insunt in mundo. Itaque cum mundus conditus sit in tempore: Deus uerò in æternitate constiterit, cur non Angeli post æternitatẽ, ante tẽporis ortũ in lucẽ prodiisse dicẽtur? Itaq; ꝑpotẽs Deus his uerbis sanctissimũ Iobbũ alloquitur:

Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei?

Quod

Quod si non erant Angeli ante homines, quomodo cultum exhibebant Deo? Antecessit igitur eorũ productio huius corporatæ molis procreationẽ. Hæc illi.

Nos uerò, et decretum summi Põtificis, quod multum post tempus subsecutum est: et aliorum patrum magna auctoritas, ab ea sententia longe abduxit.

Ratio quoque, nec ea quidem infirma, mundum omnem simul constructum, ædificatumq́ue esse apertè declarat. Cùm enim diuina opera undique apta, connexaq́ue sint, fieri nequit, ut Angeli, nobilissimæ mundi partes, ante Vniuersi constitutionẽ extiterint. Tot nanque seculis, ordine illo, quem ad reliquas mũdi partes obtinent, caruissent. Quare eodem momẽto, eademq́ue actione, consentaneum erat diuinæ sapientiæ, et Angelos condi, et eosdẽ vniuerso connecti. Quod et nobis significauit Propheta.

Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul.

Neque quia Angelis maior est impertita perfectio, lõgiori quoque ætate digni uidebantur. Longior enim ætas, quantum in se est, perfectiorem non indicat naturam: sed præstantia, cum in essentia, tum in intellectu et uoluntate exquirenda est. Astra autem matutina, et filii Dei, quibusdam sidera sunt, et cælestes animæ. i. motrices mentes. Alii uerò uocari filios Dei, supremæ hierarchiæ Angelos existimãt. Qui, ut Diuus Dionysius Areopagita testatur, in uestibulo diuinitatis collocati, Deo continenter gratias agunt. Hos non tempore mundum anteuertisse: sed dignitate hominem excelluisse, diuino oraculo proditum esse, dicũt.

Sed illis uerbis mihi uidetur, Deum imbecillitatẽ, et infirmitatem uirium hominibus exprobare. qui ad

eum collaudandum more Angelorum pertingere nõ ualent. Qui autem Angelos iccirco antiquiores mundo faciunt, ut aliquid esset, quod Deum coleret, et laudaret: cur iidem eos non faciant æternos, intelligere non possum. ne scilicet in ipsa quoque æternitate, Deus cultoribus desereretur. Non sunt itaque Angeli sine causa efficiente. Neque aut in æternitate, aut ante rerum aliarum effectionem procreati: sed cum ipsa mundi fabrica è nihilo extiterunt.

Vtrum Angeli habeãt corpora.

Nunc sequitur ut de Angelorum corporibus, si modò ulla sunt, disseramus. Etenim utrum mole aliqua, aut corpore concrescant: an ab omni contagione materiæ sint immunes, obscura quæstio fuit inter Theologos. Multi enim cùm animaduerterent multos Angelos à Deo destinari, et mitti ad innumera utriusque prouidentiæ munera obeunda: intelligere non poterant; quomodo, si corporibus carerent, ad tàm uarias mundi partes proficiscerentur. Cùm enim necesse sit, si diuina exequuntur, exhauriuntque mandata; eos, et moueri celerrime, et diuersa mutare loca: modoque è cælo descendere, modò ascendere in cælũ, et denique in omnem mundum excurrere: tam uarias profectiones, discessus, reditus, sine corporibus fieri non posse arbitrabantur. Quare illis à Deo data fuisse quædam corpora affirmant: tenuia usque adeo, ut aciem fugiant oculorum. Cùm uerò in hominum prospectum uenire cupiunt, quod sæpe contigisse scimus: aiunt corpora suo arbitratu, et densa fieri, et inclarescere. ita, ut ingenti luce omnem uim oculorum perstringant. Negarunt alii Angelos omnis materiæ expertes esse: uerentes ne si ipsis id cõcessissent;

Multi Angelis ascribũt corpora.

Quorũdam sententia est Angelos ex materia ẽt constare.

multa

multa quoque alia eisdem attribui oportere, quæ ipsius Dei propria esse uidentur. ut quòd puri actus; quòd infiniti: quòd ubique essent. Nos autem, quibus et moueri multa possunt, sine corpore, et mutare loca aduersam sententiam, tot præstantissimis ingeniis, acerrimisque piorum uirorum iudiciis, confirmatam, reformidare non debemus. Sed iam ad Angelorum naturam ueniamus. quam multi purissimam actionem esse existimarunt. Quibus ego non assentior. Neq; enim quia materiæ sunt expertes, cõtinuò sequitur eos puros actus esse. Puri nãq; actus, omnia quæ habere, et possidere possũt, iã assecuti sunt; quòd si eiusmodi aliquid illis deesset; puri omnino non essent. Eiusmodi itaque naturæ, si puræ actiones sunt, nactæ quoque erunt rerum omnium cognitionem. Tanta enim intelligendi potestas inest in mentibus; atque in iis præsertim quæ à materia liberæ, segregatæque sunt: quales existimantur angeli: ut omnia intelligere possint, et aueant. Intellectionem autem tantus sequitur amor: ut nullum sit bonum à mẽte perceptum, quod continuo à uoluntate expeti non possit. Quemadmodum autem mens, sine innumerabilium rerum cognitione expleri non potest: ita uoluntatis appetitio nunquam cessat; quousque extremum omnium bonorum, in quo conquiescat, inuenerit. Igitur neque intelligendi uis; neque uoluntatis studium, atque contentio nisi ab infinito aliquo satiari poterit. Huic mentis, et uoluntatis capacitati, et desiderio; prima illa animi notio uehementer attestatur. quæ à natura nostris animis, quasi insculpta docet, quidlibet esse, uel non esse. Quæ notio sua facultate

De Angelorũ Natura disputatio contra Peripateticos.

cultate omnia ambit; nihilque est quod eius ui, à ratione non expendatur, et concludatur. Cùm itaque hæc omnia nancisci possit intelligens natura: si cælestes mentes actus puri sunt, innumerabilium rerum, quarum habere possunt scientiam: atque infinita bona, quæ amare queunt, iam erunt adeptæ. Nouerint igitur omnia Angeli: omnia amarint. Ego autem intelligere non possum, quomodo uenerint ad tantam perfectionem. Quæ si ad ipsarum naturæ uim, et facultatem referatur: eiusque propria, et tanquam naturalis esse censeatur: quæro quomodo eam sint assecuti. Aut quia has perfectiones in se ipsis concludũt: aut quoniam earundem innumerabiles species habẽt in se ipsis. At primum soli congruit Deo. qui solus est infinitus. Species uerò in Angelorum mentibus, uel nullæ sunt; uel si quæ sunt, infinitæ esse non possunt. Si enim definiti sunt, quomodo imagines rerum in se continent infinitas? Beatitatem quoque si sibi ipsis acceptam referant: non uideo cur non eædem miseræ sint. Etenim si terminati sunt Angeli dum se ipsos spectant, et intuentur: cognoscent quoque naturæ suæ magnitudinem; atque angustias. quod, ubi comprehenderint, illud etiam eos intelligere necesse est: esse aliquam naturam se ipsis excellentiorem; à qua immenso interuallo superentur: quæque produxerit omnia. Quam ubi animaduerterint, quomodo non uenerabuntur, non amabunt, nõ appetent? Et si eam experiuerint, quomodo erunt se ipsis beati? Si uerò se ipsos tantùm agnoscant, quænam potest illis adesse fœlicitas, cũ iidem in Dei ignoratione uersentur? Itaque cum multis indigeant, neque

que ſint omni perfectione cumulati; longè etiam aberunt ab illa, de qua nunc diſſerimus; puritate. Solus Deus puriſſima actio eſt. ut oſtenſum eſt à nobis in iis, quæ de eius conſcripſimus natura. Actus igitur in eo ſunt Angeli; quòd nullo corporeo inſtrumento egent ad functiones ſuas obeundas. Atque nō ſolùm ſibi ipſis perfectioni ſunt: ſed et orbibus: quos in gyrum agunt, nulla intermiſſione. Ab actu puriſſimo autem deficiunt: quia, et ab infinitate longiſſimè diſcedunt: et multis carent, quæ aſſequi poſſunt. Terminatæ ſunt igitur eorum uires: quoniam pendent ab excellentiori ui, et infinita poteſtate. definitæ ſunt earum naturæ: quia unum tantùm eſt infinitum. præfinitus quoque eſt Angelorū numerus. de quo mox dicemus.

Quæ nā ſit Angelorū natura.

De Multitudine Angelorum.
Cap. II.

Tres Angelorum ordines.

SINGVLARES mentes in tres ordines partiunrur. Aliæ enim infra cœlum : aliæ ſupra cœlum æuum degunt. Aliæ inter utraſque ueluti interiectæ cœleſtes dicuntur. Infra cœlum Theologis ſunt Dæmones. Academici uerò in hunc quoq; ordinem referunt elementorum, atque hominum animas. Cœleſtes Theologi appellant mentes orbium motrices. Academici ſphærarum, et ſiderum, ipſiusque uniuerſi animam illis adiungunt. Supra cœlum autem ingens eſt multitudo Angelorum. Quæ cœleſti ordini adiuncta, à Theologis in tres Hierarchias diſtribuitur: quarum ſingulæ ternis cõſtent ordinibus. Peripatetici uerò cœleſtẽ intelligentiarum ordinem retinentes : duos reliquos penitus ſuſtulerunt. Quòd putarent intelligẽtias, ſine globis eſſe non poſſe. Etenim ſi orbibus caruiſſent, nihil eſſet, quod eas, uel coleret, uel admiraretur. Experi uerò ab alio, haud parua perfectio eſt. qua mentes ſpoliandæ non ſunt. Deinde ſi quæ eſſent, quæ non mouerent: earum motrices poteſtates æterno tẽpore otio torpeſcentes et inanes, et otioſæ eſſent. Quid eſt enim quod mouere poſſit intelligentia, niſi orbem? Pergunt iidem. Si intelligentiæ præſtantiſſimæ omnium naturæ ſunt, quid eſt, quod illis magis cauſas eſſe, quàm non eſſe: et iam mouere, quàm poſſe mouere non tribuamus? Hæc nanque illis præ-

Sententia Peripateticorũ de numero Angelorum.

præstantiora sunt. sin autem diuinæ mentes, non solùm causæ esse possunt, sed iam sunt: oportet aliquid eas efficere. Nihil enim absurdiùs dici potest, quàm eas causas iam promptas, expeditasque esse, nihil interim agentes. Quid igitur moliuntur? Profectò bonæ cùm sint, inuident nemini: sed suam amant bonitatem. quam nec amare quidem poterunt; nisi ea præstent, quæ bonitatem decent. bonitati autem quid magis consentaneum, et proprium est, quàm sese diffundere, et cum aliis communicare? Quare uel necessariò bona quæ possident, aliis impartientur: uel non solùm non bonæ, sed ne erunt quidem. Quod cùm ita sit, si nullos habēt globos, quos uersent, quomodo suorum bonorum poterunt alios participes facere?

Ex quo etiam illud existit: quòd, qui mentes sine orbibus in naturam introducunt: iidem eas ab ordine uniuersi semouent, atque disiungunt. Mundi nāque ordo in eo uel maxime cernitur: quòd, res omnes, tam arcte nexæ, colligatæque inter se sunt; ut cunctæ primo iungātur principio: et superæ quidem inferiores perficiant, atque illustrent: inferæ autem supernas expetent, atque beneficiorum quasi memores, illis gratiam quandam habeant, atque agant. sed si quæ sunt intelligentiæ, quibus nulli attributi sint orbes, quomodo quidquam ab illis ad Mundum permanare poterit? Quid? mentibus illis indiget hoc uniuersum? Globis primùm, aut sideribus nullam afferent perfectionem. quoniam nulli eis ascribuntur. elementa quoque ipsa, terra, aqua, aer, ignis optime ab imminenti cœli plaga reguntur, et gubernantur. quare nulla alia indigent ui, à qua temperētur. Homo

etiam

etiam ſua contentus ratione, mente, et conſilio ſeſe, atque ſua omnia procurat. non eget noua ope. Quæ enim illius corpori neceſſaria ſunt, affatim à cœlo, eiúſque motoribus ſubminiſtrantur. Mundus autem cùm undique corporatus ſit, nihil efficere poterit, quod mentes illas attingat. neque illas expetet, ſi nihil inde ſibi euenturum expectat. Nullæ igitur aliæ mentes ſunt, quàm quæ cœleſtes cient globos. Quas, et pauciſſimas eſſe oportuit. quia præſtantiſſimæ ſunt, et quàm proximè ad diuinam accedunt naturam, quare et minus ab uno recedere debuerunt. Etenim quæ naturæ præſtantia et nobilitate aliis cedunt; ea numero ſuperare ferè uidemus. Quæ præſtantiora ſunt; eadem, et panciora eſſe, et aut magnitudine, aut uirtute alia excellere. Cœlum mole maximũ eſt, et penè uaſtum: ſed multitudine cedit inferis naturis. Elementa immenſa: ſed pauciora mixtis. Animantia quoque, quæ carent ratione, iis plura ſunt, quæ mente utuntur. Hæc uerò illa longo interuallo nobilitate antecellunt. Mundi quoque gubernatio idem declarat. Mundus nanque cùm præclarum opus naturæ ſit: excellenti quadam adminiſtratione carere non debuit. Ea autem pulcherrimè omnium gubernantur, quæ unius tenentur principatu. Deus Mundi princeps intelligentias Vniuerſo præfecit: numero anguſtiores; ne multitudinem perturbatio ſequeretur: uirtute admirabili præditas; ut immenſa illa corpora, quibus omnem Mundum mouent, et regunt, ciere facillimè poſſent. Ex his unum intelligentiarum ordinem, cœleſtem ſcilicet, dumtaxat concludunt Peripatetici. Reliquos

reiiciunt. Quorum rationes, et argumenta si sequamur, non uideo cur, et hunc, qui reliquus est cælestis ordo, non eiiciamus è mundo. Si enim nulla alia ratione adducti illum probant: nisi quia fieri non posse uidetur, ut ætherei globi sine intelligentiis moueâtur: cur non dicunt, ut hanc quoque superfluentem naturam euitent; cælo insitam esse qualitatem quandam, quæ illud in orbem facillimè, naturaliterque conuertat? Cùm præsertim agitari elementa, et mixta uideamus, non ui aliqua motrice, quæ menti adiuncta sit: sed qualitatibus à ratione alienis. Si ergo potuit Natura motricem hanc uim, et qualitatem ingenerare cælo; non erat quare eidem mentem adiungeret. Quocirca omnes Angelorum ordines, si Peripateticos sequamur, ruere necesse est. Qui uerò liberam philosophandi rationem probant, et ueritati addicti, nullis certis auctoritatibus sunt consecrati, aliis rationib. Angelorum ordines confirmant. Principiò ostendũt cælestes mentes etiam si innata quapiam ui cælũ sponte sua moueri non repugnaret; ordini tamen diuinæ prouidentiæ necessarias fuisse. Etenim in rerum administratione consueuit Deus, inferiorum supremas naturas, superarum ultimis connectere. Atque ea rerum colligatione omnia in congruẽtes fines dirigere. Inter corpora autem, primi omniũ sunt ætherei globi. ad eos itaque uersandos, consentaneum erat extremos angelos adhibere: ut naturæ omnes uicissim nexæ, suis finibus redderentur. Id quod et vniuersi ordo requirere uidetur. Alia quoque de causa sapientissimè mundi conditor hanc motricem qualitatem cælo ingignere noluit. Mundi nanque conuersiones, et cur-

Disputatio contra Peripateticos de numero Angelorũ.

sus certi, statique sunt, et quibusdam temporum spatiis conclusi, quos egredi non licet. Vnde si mouendi potestas aliqua cælo à Deo esset tributa; ea continenter uigente, non nisi ui aliqua adactum, sese quin moueretur, continere potuisset. Quod ne modo contingat timendum non est. Cælum enim perfectionem suam assequutum est. quoniam locum sibi debitum obtinet. neque ut maiorem inueniat perfectionem idcirco mouetur: sed aptum cùm sit ad motum, et quietem nec motio nec quies naturaliter illi est perfectioni: sed Vniuerso: ut suo loco dicemus. Terra quoque, aqua, aer, ignis, propriis sedibus, locisque quiescunt. neque in iis uis ulla uiget, quæ ipsa ad exquirendam maiorem perfectionem impellat. In altero quoque meritò reprehenduntur, quòd scilicet tot intelligentias numerarint, quot sunt cælestes orbes. quia intelligere non poterant esse intelligentiam aliquam in natura, sine proprio, idest orbe destitutam.

Nam cùm unum statuant intelligentiarum finem, quem in cognitione, et amore Dei positum esse dicũt: alterum quoque adiungunt, quem aiunt in mouendis orbibus consistere. Et quidem de priori rectè sentiunt. Alter uerò nec ullus est, nec intelligentiis consentaneus. Etenim cùm intelligentiæ illis æternæ sint; in æternitate hoc posteriori fine caruissent. Nõ enim poterant eodem æternitatis momento simul esse, et mouere. Aduersatur nanque motus naturę. Sed illud expendamus. Si finem aliquem, quem expetant extra se habent intelligẽtiæ, quomodo erunt perfecti actus, et puri? Mouet enim finis appetitum. in qua commotione cernitur quædam appetentis indigentia. Si

igitur

igitur appetunt cæleſtes mentes ciere globos: eas antea commoueri neceſſe eſt. At nihil, quod ſe ipſo beatum ſit, excitatur ab alio. Neque hic finis ea ratione defendi poteſt; quòd mouendo Angeli Deum imitentur. Non enim, quia mouent, ideo primo principio ſunt aſſimiles; cùm ipſum ne moueat quidem: ſed quoniam parent conditori. Obedientia autem eſt affectio quædã prodiens ex cognitione, et amore; quo Deum proſequuntur. Intelligentiis autem, nec iniuriam facimus, nec eas honore aliquo ſpoliamus: ſi illis non aſſignamus orbes, qui illas expetent, et ament: nobisque ſignificent, ut eundem honorem tribuamus. Quæ enim aut perfectio, aut oblectatio ex hoc cultu illis accedere poteſt? Id nanque quod aut intelligitur aut expetitur, nihil conſequitur ab eo, qui intelligit, uel concupiſcit: ſed contra ſe res habet, qui intelligit et cupit, afficitur ipſe. Intelligere nanque, et cupere ſunt actiones, quæ in mente, et in appetitu ipſo uertuntur, neque quòquam prodeunt. Quomodo igitur poterunt afficere alia? Illud etiam perſpicuum eſt; non exquirere laudes mentes illas cæleſtes, ſicut ſolent uiri magnanimi, nimirum ut alii eorum præſtantiam, atque uirtutem teſtificentur. Contemnunt enim et ipſi à uulgaribus hominibus exhibitos honores. Quomodo igitur gloriam à nobis ita optabunt intelligentiæ, ut ſine ipſa nec eſſe poſſint, nec uelint; cùm nos maiori ab illis diſtemus interuallo; quàm uulgares, ignariq́ue homines à generoſis uiris, atque ſapientibus. ſi quem autem honorem expetere poſſent beatæ mentes; illum non à mortalibus, et ab iis, quorum ad aures uix earum nomẽ peruenit: ſed

uiciſſim à ſe ipſis, ſed à Deo: tametſi nos illis laudes deberemus: tum ex Dei præcepto: tum ex acceptis beneficiis. Si autem orbes nulli ſunt honori intelligẽtiis, nec erunt perfectioni. Nam, quod dicũt melius eſſe agere, quàm non agere: mouere, quàm non mouere: quoniam uires ad actiones ſint comparatæ: atq; niſi agerent inanes eſſent: oportet eos rem hanc accuratiùs conſiderare. Etenim ſi hæc illis meliora ſunt, quæro cùm Deus poſſit innumera præſtare opera, cur illa non efficiat? Poſſe autem Deum multa moliri, quę non operatur, non negabunt Peripatetici. Eos nũc alloquor, qui Deum Mundi auctoré agnoſcunt. reſpõdeant ciere ne poſſit omnes globos? ſi põt, et non mouet eos, iam ſe continet ab agendo. ſin autem non poteſt: quomodo potuit eoſdem cum Mũdo procreare? Deus nanq; in mouendo primo cœlo non ita deſtinetur, ut ad uerſandos reliquos orbes Angelos eũ ſufficere neceſſe ſit. Omnes.n. eorum mouendi uires in ſe ipſo complectitur, quod inde apparet, quia illas ingenuit intelligentiis. Ex his concluditur nullã oblectationem, aut perfectionem in ciendis æthereis globis, beatis accedere mentibus. Conſiderare igitur Peripateticos oportebat, non ſolũ agendi uim actioné ſpectare, quam põt obire: ſed etiam naturam, in qua ipſa uis ineſt. licèt nanq; actio, quia finis eſt, melior ſit agẽdi poteſtate: non tñ ſemper naturam decet ad agendũ prodire. In quibuſdam actionũ generibus præſtátiùs eſt agere, quàm ſe ab efficiendo cohibere. eiuſmodi cẽſentur illæ omnes operationes, quæ non exeunt extra cauſam efficientem. In iis autẽ quæ exeunt ab effectore, aliter ſe res habet. Equidẽ obtinere uim, et cau-

ſam

ſam multarum rerum agẽdarum, res eſt optima. cùm potentis, et dominantis in res alias argumẽtum ſit. qđ diuinitatem quandam referre uidetur. Agere uerò, nõ ſemper meliùs eſt, quàm non agere. Etenim qũ natu ræ, ac uires quæ agunt, et ipſæ actiones paris ſunt con ditionis, et ordinis; actio eſt præclara. Ita ſoli lucere bonum: non lucere malum eſt. Sin uerò illa imparia ſunt, præſtantiùs eſt agendi uim ſuſtinere, quã eam ad efficiendum adiungere. Actio.n.hmōi neceſſariò pen det à ſubiecta materia. Cuius indignitas in ipſum uſq; effectorem, dum operatur, refluere quodã modo opor tet. Vis autem ipſa efficiẽdi, imperium oſtendit naturæ in res ipſi ſubiectas. Eadem dum nihil molitur, ab om ni ignobilitate libera eſt. cùm ut ſit, habeat ſolùm à na tura, in qua inhæret. à re ſubiecta autem, in quã actio nem exercere poteſt, non pendet, nec ab ea ullam acci pit perfectionem. Vbi uerò agit, perfectio eſt illi à diui no imperio, cui obtemperant, non à re ſubiecta. Quæ res optimè ab Ariſtotele animaduerſa, noſtram ſententiam mirifice confirmat. Is in primo libro pri mæ philoſophię, rerũ peritiam, operatione digniorem eſſe contendit. Architectum quoque artifici, qui iam operatur, anteponit. Architecto ſapientem. Maiore etiam laude proſequitur artium inuentores, ob uim ingenii, quàm artis cõmoda, et utilitates. Diſputatio nes quoq; de iis rebus, quæ rudiores, fabrileſq; ſunt, dignè uidentur uiro ingenuo, atq; nobili. At ea tracta re, indignum, et illiberale eſt. In iis igitur melius eſt non agere, quàm agere. Quod, et ratio ipſa declarat. Præſtantiùs nanque eſt in iis, quæ mala iudicantur, uim ab efficiendo ſuſtinere, quàm ea perpetrare.

At materies, et quicquid est corporatum, malum quoddam est: non absolutè quidem, sed intelligentiæ. cuius prima radix est immunitas à materia. circa quam etiam dum uersatur mæchari dicitur. Ex quo artes mæchanicæ nominantur. Præstat itaque intelligenti ui ab omni molitione, quæ in materiam exercea tur abstinere, quàm hoc ueluti opificio uilescere, et de dignitate sua non nihil diminuere. Cælestes autem mentes, cùm naturæ sint præstantissimæ, et ab omni materia segregatæ, cur illis melius non erit tantam materiæ molem non attingere, quàm eam, ueluti molam farinariam continenter uersare. Nec tamen iccirco omnes à mouendo uacabunt. nam cùm opus sit moueri cœlum, ut Mundus consistat: Deus ad globos ciendos, extremos angelos delegauit. Et quidem illis iucundissimæ sunt orbium motiones. nō aliam ob causam, nisi quia, hoc dum munere funguntur, conditoris uoluntati sese obedire, eiq; similes fieri intelligunt. Prodesse quoque se humanis mentibus sentiunt. quarum gratia, quæcunque per cœlum effici possunt, orta sunt. Quas ob causas, rerumque necessitatem, omnino compensatur, aut potius honestatur quicquid ignobilitatis in ipso genere actionis reperiri potest. Atq; hæc indignitas causa est cur Deus ipse non moueat cœlum: sed aliis mouendū detulerit. Procreandi autem uim, quæ eandem ob causam aliis tribuenda uidebatur, iccirco sibi reseruauit, ꝙ ea aliis impertiri non poterat. Ex his efficitur non posse nos ex numero cælestium orbium, Angelorū multitudinem indagare. Diuersi.n. sunt fines cœli, et diuinarum mentium. Illæ nanque propter Deum conditæ sunt.

Cur Deus nō moueat Cœlum.

Cœlum

Cælum uerò, et Vniuerſus reliquus orbis, ad hominis uſum, et emolumentum eſt conſtructus. Homo autē propter Deum. Nefas autem mortalibus uidetur, certum Angelorum numerum concludere. Illos uerò multos eſſe, ac penè innumerabiles, diuina bonitas fidem facit. Cuius natura eſt ſeſe uariè diffundere et propagare. Idemq; diuina oracula frequenter declarant. Nec quia cæleſtibus orbibus non ſunt affixi, erunt Angeli ab Vniuerſo diuulſi. Mundo nāque connectuntur, quoniam ab Vno omnium principio ſunt profecti: et in eundem ultimum finem conſpirant. Deinde ſic à Deo mūdus omnis effectus eſt, ut quæ in eo reperiuntur naturæ, tanquam numeri quidam, ſint contextæ et colligatæ. Verùm cùm infinita ferè ſit Angelorum multitudo, illud dubitatione dignum cenſetur: utrum eorum omnes diuerſæ naturæ ſint: an natura conueniant, numero tātùm diſſentiant: an eorum alii in forma conueniant; differant alii. Huius rei ueritas, etſi à ſummis ingeniis, magno ſtudio perueſtigata: tam multis cernitur obſtructa difficultatibus, ut eam diiudicare difficillimū ſit. Nulla enim extant hac de re diuina oracula. Nulla conciliorum dogmata. Nulla ſummorum decreta Pontificū præſcripta ſunt. Magni quoque Theologi, inter ſe magnopere diſſentiunt. Etenim Baſilius, Athanaſius, Gregorius, Niſſenus, Didymus, Hieronymus pares faciunt omnium Angelorum naturas. dubitare ſe Damaſcenus, et Auguſtinus. Dionyſius, Nazianzenus, Epiphanius contra dicere uidentur. Ratio quoque nulla inueniri poteſt, quæ quid ea de re nobis ſentiendum ſit, certò demonſtret. Nam ea

Numerus Angelorū.

Quæ nā ſit differētia inter Angelorū naturas.

quæ

quæ à quibuſdam afferri ſolet, ad oſtendendam omnium Angelorum diſparitatẽ: quia omni careant materia: ex qua omnem propagationẽ ſpetierum, in ſingulares naturas, prouenire iudicant: nequicquam falſis innixa fundamentis adducitur. Fieri enim poſſe exiſtimo, ut in iis etiam, in quibus nullũ cernitur materiæ ueſtigium, propagentur ſingulares naturæ. Animæ rationales ſingulares non ſunt, propter aliquam materiam in ſe ipſis incluſam. ab ea nanque ſunt alienæ. Nec propenſio illa, qua animus ſuum expetit corpus, tanta eſſe poteſt, ut animum reddat ſingularem. Poſterior nanq; eſt. Anima prior. ſingularis igitur ante propenſionem à corpore contractam. Verùm ſi qua ratio eſt, quæ nobis perſuadere poſſit diſſimilitudinem naturarum in Angelis: nulla alia eſſe uideatur, quàm ea, quæ à diuina ducitur bonitate. Cùm enim diuina eſſentia infinitas rerum naturas complectatur, conſentaneum erat immenſæ illius bonitati, quam plurimas propagare rerum formas. Illud autem certum eſt, cùm ſingulæ ideæ infinitas in ſuo genere contineant perfectiones, eas omnes nulli Angelicæ naturæ impertitas eſſe. Alioquin quomodo dicere poſſet Propheta.

Minuisti eum paulò minus ab Angelis?

De

De loco Angelorum. Cap. III.

INTER multos sanè philosophiæ locos, qui nequaquam satis adhuc explicati sunt: perdifficilis, et perobscura est quæstio de loco Angelorum. Nam cùm locus affectus sit rerum omnium comes; excogitari non potest, quod affirmare ausi sunt quidam; Angelos in Vniuerso contineri: nusquam tamen esse. Quod enim Deus certa sede non cõcludatur, res clarior est, quàm ut ullam desideret orationem. Quomodo enim esset infinitus, si locorum terminis contineretur? Quomodo uerò Angeli definiti, si nullis certis spatiis in Mundo consisterent? Verum quoniam sunt omnis magnitudinis expertes: non erunt in loco Angeli quemadmodum corpora. Ea enim locum implent, propter magnitudinem. Quantitatem autem si auellat à corpore Deus, arduum est inuenire rationem; quæ ostendat, quomodo ea, quæ relicta est substantia, locum possit occupare. Itaque etsi multi Angelos liberent à loco: tamen illum ita agilem fingunt ad agendum; ut illi agilitati, ut sic dicam, potius, quàm eorum naturis, certas destinent sedes. Principiò dicunt isti, non congruere omnibus rebus, contineri locis: sed solùm corporibus, quæ quantitate prædita sunt. Id autem quod nec est productum, nec ullam magnitudinem habet, nullo modo in loco esse: sed in se ipso. Deinde Angelorum operibus, certa statuunt loca: in quibus illa fiant, et contineantur: atque eorum

Sententia Gaetani de loco Angelorum.

munere Angelis definiantur ſedes. à quibus non circumſcribantur: quia ſemper in ſeipſis ſunt: ſed determinentur ſolùm. ut ſcilicet ibi ſint in ſe ipſis: nō alibi. Mox alium quendam modum confingunt, quo ponunt angelos in locis: licèt non perfectè, et abſolutè: ſed adumbratè, et diminutè. Requirunt primū Angelum cognoſcere opus, quod moliri debet. deinde, quo in loco effecturus ſit illud. Tum uoluntatem, et electionem. Poſtremò ut agendi ui expedita, quaſi equo ad curſum habenas immiſſurus ſit; ita continuetur operi, quod præſtare uult: vt nulla motione indigeat, qua illi appellatur. His expletis adumbratè locari Angelum dicunt. Eoque modo ſententiam illā: prius aliquid locari oportere; deinde agere, interpretantur. Idem totum hunc, quem expoſuimus apparatum, nouo et ſatis obſcuro nomine præſentiam appellant ordinis. Quæ quidem præſentia, uel inanitas potius ordinis, ab illis tanto ſtudio inducta, atque elaborata; ſi unum, uel alterum demas fundamētum, ruit; quaſi domus arenoſo in loco poſita, aut arundineis pedamentis innixa. Illos enim interrogo num ſemper Angelus ita intentus ſit operationi, quemadmodum ipſi fingunt; necne. Semper eum, ita præparatum eſſe ad faciendū opus, nefas eſt. Poteſt enim non agere, uel aliquid aliud eorum deeſſe, quod expoſtulant ipſi. Quo poſito, non erit in loco Angelus, et erit in mundo. quod intelligi non poteſt. Deinde, ſi ideo ſuas deſerunt ſedes, ut alium in quo acturi ſunt locum acquirant, alioquin nihil in eo effecturi: quis non uidet, prius locum ab illis acquiri, et in eodem eos eſſe, quàm in eo quicquam effici, aut proximè

Diſputatio contra Gaetanum.

poſſe

posse moliri? Sunt alij, qui non Angelorum naturæ assignent loca. Sed illorum uim ad efficiendū certis quibusdam cancellis concludant; quos excedere nefas sit. Quam uim cùm uariè, dissimiliterque possint temperare, pro agendarum rerum occasione: dixerūt eos se modò in ampliorem locum producere, modò se recipere in angustiorem: licèt in indiuiduo consisterēt puncto. cùm autem terminatas naturas haberent, definitam quoque uim eos assequi necesse fuit. Huic autem ad agendum congruit, conclusus aliquis locus.

Quomodo Angeli per suas uires locentur.

Non desunt alii, qui exeuntem Angeli actionem, et esse, et fieri in loco dicant. Vires autem, et substātiam liberent à loco. Nos autem sic philosophemur. Locus ut diximus antea; est affectus quidam rerum omnium comes necessarius. ita ut, quod locum in mundo non obtineat, nihil penitus sit. Intima enim et naturalis est rebus omnibus, quædam ad locum habilitas, et innata affectio. Quam, qui tollit, res ipsas tollat, necesse est. Neque enim ab ipsamet rei natura dissentit. Verùm hæc affectio quia sua cuique naturæ conuenit; nō uniusmodi est. Principiò Deus ita est in loco, ut sit ubique. ita quoque est ubique, ut omnia contineat: nulla ipse abs re contineatur. atque immensum spatium infinita sua essentia implere possit. Quare cùm infinitus sit, non potest Deus loco aliquo definito concludi. Corporibus uerò locus conuenit is, qui eorum magnitudinem, et metiri, et ambire facile possit. Angeli quoque, et hominum formæ atque animæ, quamuis omnis materiæ sint expertes: quia tamen terminatæ sunt, certi loci, à quibus contineantur, tributi sunt. In Angelo autem est ope-

Angeli in loco exeuntium actionum mune re.

Res omnes aptæ sunt ad locum.

Qui locus Deo conueniat.

Corporib. locus congruens.

Angelorū, et Animorū cū actionum, tum uirium, tū naturarum loci.

ratio : eſt uis operandi : eſt natura. Operationē nunc appello ; non intellectionem, et amorem : ſed eam affectionem, et habilitatem, qua Angelus continuatur, et iungitur cum re aliqua; ſiue illa ſit actio, qua rerum naturis munera aliqua impertitur; ſiue ſimplex continuatio. Cuiuſmodi ſunt præſidere, cuſtodire prouincias, ciuitates, homines : continere corpora : eademq; modò ciere; modò ab omni cohibere motione. tum illa, quæ ab igne facinorum, ſcelerumque uindice, ad malos permanat Dæmones ; animasq; diſcruciat improborum. Hæ omnes operationes, ita peraguntur in mundo ; ut magna quandoque impleant ſpatia locorum. Quare quod benè ſenſerunt : malè ſunt elocuti. Si enim nullo alio modo, niſi eo, quem nos expoſuimus, Angelos in loco eſſe intelligunt : planiùs dixiſſent, Angelorum operationes, et fieri, et eſſe in loco : quàm eos loca per actiones occupare.

Pergunt iidem, dicuntque non eſſe ubique Angelos : quoniam ubiq; agere non poſſunt. Non eſſe diuerſis in locis: quoniam eorum una actio : uno neceſſario ſit in loco. Non eſſe duos Angelos eodē in loco: quoniam eorū vna actio, ſi integra ſit, alterā excludit.

Loci quoque magnitudinem, uel exiguitatem non ex natura; ſed ex Angeli uoluntate petendam ducunt. Qua cùm longè, lateque diffundere ac dilatare: tū continere, et in anguſtum concludere uires ſuas, atque efficientiam poſſit. Veluti manum, quam nunc comprimimus, et pugnum facimus : nunc diducimus, atque explicamus. Atque de actionum locis ita, et rectè philoſophantur. Viribus autem angelorum illū aſcribunt locum, in quo agere atque aliquid moliri poſſunt.

sunt. Vbique autem agere non ualent. Quod definita illorum indicat natura. Quare spatium illud, in quod se protendit illorum potestas, rectè locus uirium Angelorum dicetur. De essentia res est obscurior. Quidam enim aiunt fieri non posse, ut natura, omnis expers quantitatis, implere possit spatium aliquod, quod longitudine, latitudine, altitudineque contineatur, et constet. Quare quoties incorporeas substãtias excogitamus in loco: ficta quadam cogitatione nos decipi, atque hallucinari contendunt. Nobis tamen contra uidetur. Neque enim intelligere possumus substantias aliquas cœli complexu coerceri; easdemque nusquam esse. Itaque sic nostra fert opinio. Angelorum naturas certis locis contineri: Quæ loca, et penetrent, et peruadant. haud secus, quàm color, et sapor sese permeent in pomo. Quod et eorum motiones, et perfectiones uariæ, uel maximè declarant. Mouentur nanque angeli, ut postea ostendemus: atq; noua quærunt loca: in quibus diuinæ prouidentiæ exhauriant mandata. At motio, est acquisitio diuersorum terminorum, et partium loci. quæ singulis horarum momentis successione quadam absoluitur. Igitur adiungitur uariis locis substantia angeli. Neque illius continuationis, et adiunctionis ulla operatio causa esse potest. cùm possit in ipso interuallo nihil agere. cumque expers sit magnitudinis, aerem nõ diducet. sed ubi ad locum, quem optarat peruenerit, necessario loco adiungetur, antequam ullam prodat operationem. Non enim eodem momento quo angelus se applicat ad locum, unà agere potest. Actio nãque requirit tempus, in quo fiat. Igitur ante erit in lo-

co:

co:mox aget. Si uerò quod fieri posse plerique omnes concedunt; uelit Angelus duo ciere corpora, quæ absint à se plurimum: quæque ambitu illo concludantur, cuius terminos eius potestas attingat: in media autem intercapedine nec moliatur quidquam, nec uelit agere: sciscitor, utrum duntaxat sit in utraque loci extremitate ubi agit: an etiam mediũ spatium peruadat. Si non intenditur per interuallum: quomodo erit duobus in locis diuulsis? Si intercapedinem tranat, ea peruasio, adiunctio est, et applicatio substantiæ Angeli ipsi loco. Neque quia eius natura in diuidua substantia sit: iccirco in protenso, amploque spatio esse nequit. Eius enim natura ita implet interualla, ut et tota, et integra in singulis partibus conseruetur. Verum de loci amplitudine, et exiguitate, in qua possint consistere angeli, altercantur philosophi. Nec deest, qui tam latè Angelum producat, ut censeat illũ Mundum omnem occupare. Vsque adeò, ut si plures etiam essent Mundi: per illos omnes intendi facile posset. Idque ea adductus ratione affirmat. existimat nanque tantam esse in illis uirium magnitudinem, ut iis possint omnia corpora, quæ cœli determinatione continentur uicissim ciere. Quæ uis cùm paritatem, et proportionem habeat ad corpora omnia mouenda (superat enim omnium eorum repugnantiam,) Ordo ab eodem nuncupatur. Hic autem ordo idem præstat angelis; quod situs corporibus. Quocirca cum ea uis illeque ordo omnem Mundum attingat: potestatem quoque Vniuerso adiungunt. Cumque uires non dissentiant à natura: ipsam etiam toti applicant Mundo. Hæc mihi, et liberiùs, et temerè dici uidentur.

Amplitudo, atque exiguitas loci Angelorum.

tur. Quid enim impedit, si Angeli ubique sunt: si iidem multos Mundos peruadere possunt, quin illos, et Deos esse non dicamus, et infinitam habere naturam? Cur qui ita sentiunt, Dæmones, prauasque animas non tollunt in cœlum? Sunt alii, qui non solùm hæc improbant, sed etiam penitus aduersentur. Tam enim exiguis sedibus Angelos concludunt, ut illos ad punctum adducant indiuiduum. Quorum sententia si uera est, quomodo poterit mouere corpora Angelus? Oportet enim eum, uel totum permeare corpus, uel partem aliquam impellere; cuius impulsu reliquæ moueantur. In puncto autem si consistat, nihil mouere poterit. Punctum namque, et refugit motum, et alia impellere nequit. Nec deterreri eos oportebat cœli immensa magnitudine, quæ tanta sit, ut in eam totam sese diffundere non possit. Neque enim is ego sum, qui existimem produci angelum in uniuersas partes corporum, quæ mouet; sed qui certum locum statuam, illius naturæ et uiribus parem, in quem tota penetret illius substantia. Quare Mentes orbium motrices non ita se æthereis globis appellunt; ut totum permeent corpus. sed parti adiunguntur, et illi quidem quæ uergit ad ortum, quo appulsu ita partem cœli in orbem conuertunt, ut ea impulsa, reliquas ad integram conuersionem perficiendam facillimè urgeant, atque concitent. Hanc loci amplitudinem diuulsa illius operatio, qua distantia inter se agit corpora, nihil interim in interiecto spatio efficiendo, aperte declarat. si enim totum non implet interuallum, atque in illius utraque extremitate operatur, quomodo non dilaceratur illius natura?

rá? et cùm indiuidua sit, discerpi quomodò poterit?

Profectò intenduntur angeli per totum illud spatium, quod eis præstituit propria agendi uis. Quapropter in extremitatibus facillimè operari possunt; nihil interim in media intercapedine efficiendo.. quemadmodum in animantibus fieri uidemus. quorum animæ diuulsas produnt operationes in disiunctis corporum partibus: ita tamen per medium interuallũ continuantur, ut in ipso nihil agendo extremis uitam et sensum afferant. Denique Angeli mutare loca quidẽ ualent: maiora uerò, uel angustiora sese effundendo, uel contrahendo facere non possunt.

De motu Angelorum. *Cap. IIII.*

QVI Angelos ubique esse censuere: iidem nullo modo eos moueri sunt arbitrati. Cùm ubiq; præsentes: omnibusque obeundis muneribus præsto sint. Nobis uerò uideri dicunt eos, et ascendere in cælum, et rursus descendere: et in multas mundi partes commeare; quoniam modò agunt in uno loco; modò in alio; modò ab efficiendo desistunt. Inde affirmant Angelorũ uires nos potius experiri; eorumque cernere operationes; quàm quòd illi beatis relictis sedibus ad nos accedant. Quocunque enim imus, quocunque mouemur nunquam discedimus ab Angelis; neque illi absunt à nobis. Quæ sententia superius à nobis et recitata, et confutata fuit. Nunc audiamus Peripateticos, qui ita cælestes intelligentias suis affigunt orbibus;

Sententia Peripateticorũ de immutabilitate Angelorum.

bibus: ut perenni motu eas ciere cœlum faciant: ipſas nunquam moueri affirment. Non quòd ſint infinitæ, totumq́ue compleant Vniuerſum. ſingulæ enim ſingulis orbibus ſunt addictæ. Nec quia non poſſint eſſe in loco. ſunt enim in illis, quæ uerſant corporibus, ut alibi nuſquam ſint. ſed quòd earum uires, proportione quadam naturali ſic globis, quos mouent, alligari cenſent: ut illinc deſcendentes, ad alium non poſſint comigrare locum. Sed quæro de illis, cur non poſſint intelligentiæ ab orbe diſcedere? Fortaſſe ut ab illis conſeruentur et ſuſtinentur? At Mentes immortales ſunt. neque immortalitas illa ipſis tribuitur à cœlo. Impedient diſceſſum orbes, uel motiones: quia ſint fines intelligentiarum? Sed cæleſtes illæ mentes, nec propter orbem conditæ ſunt; neque propter motum, ut diximus antea. Aut natura extimeſcit, ne ſi motionem cœli deſerant, alióque proficiſcantur; otioſi degant, nihilq́ue agant omnino? At intelligunt Deum, et Vniuerſum. cuius intellectionis non eſt cauſa orbis. Mouere quoque, aut non mouere, nihil ad ipſorum perfectionẽ, aut diminutionem facit: ſi utrũque ex ſuo genere ſpectetur. Commeatio fortaſſe indignior res erit, q̃ ut intelligentias deceat? Corpori enim motus datus eſſe uidetur propter indigentiam. mentes autem illæ, et beatam uitam traducunt, et nulla re egent.

Diſputatio contra Peripateticos de motu Angelorum.

Sed intelligentias non dedecet motio: cùm eas pudeat mouere orbes. Mouent nanque cœlum; non ut inde ſibi acquirant perfectionem: neque ut eam tribuant orbi: tam quies enim, quàm motus cœlo cõſentaneus eſt: ſed ut mortalibus cõſulant, atque pro-

uideant. Cur igitur sese non promouerint, ad curandos homines, eosq; tuendos? ad propulsandos Dæmones, et pleraque alia arcenda pericula, atque munera eisdem impertienda? Multi autem existimant, non posse moueri intelligentias, quoniam indiuiduæ substantiæ sint. Omne uerò quod mouetur, diuisionem quandam pati necesse sit. Dum enim mouetur non est in termino, à quo discessit: neque in termino ad quem mox est peruenturum: sed partim in uno, partim in altero. Illud addunt. cùm motus successione quadam fiat, et continuatione: non posse gigni, neque in loco disiuncto, neque à re indiuidua: sed utrumque oportet esse, et diuiduum, et coniunctum, atque continuum: Angelus autem cùm indiuiduus sit; non poterit locum continuum peruadere. Hæc dixerint illi. Mihi autem non uidetur absurdũ, indiuiduam naturam moueri posse. Potest enim ita ab una parte sese Angelus promouere, ad aliamq; tendere, ut et primam retineat, et alteram assequatur. totusque erit in utraque. cumque ampla impleat loca, ut declaratum est antea; perinde ac ingens corpus esset, celerrimè mouebitur. Id quod, et inde perspicuum fit. Si enim non repugnat animæ, cùm fit accretio in corpore animato; nouæ accedere parti: cur repugnabit Angelo moueri, et in alia proficisci loca? illi enim et facilior motus esse uidetur: cum non informet locum: sicut anima corpus. Aliis simplicitas Angelorum negotium facessit. Fieri nanque non posse arbitrantur: ut Angelus se promoueat; cum nõ habeat partem, quæ moueatur, et partem mouentem. At uoluntas uis motrix mihi uidetur. substantia uerò

pars,

pars, quæ mouetur. Et quamuis natura, et uoluntas res una sint: earum tamen notiones sunt diuersæ. quæ differentia sat est ad constituendam partem mouentem, et motam. Ex his constat moueri Angelos posse, et mutare loca. Quod quidam tam facile esse sunt arbitrati: ut quoniam angeli, et corporis mole liberi sunt: et ab omni materiæ contagione alieni, affirmarint pũcto temporis eos posse Vniuersum peragrare Mundum. Cui rei, et fidem facit repugnantia. quæ nulla est in media intercapedine. quæque si corporibus non obsisteret, ausus est dicere Aristoteles: omnem motionem momento facillimè absolui posse. Ego autem fateor, celerrimè Angelos remotissimas adire Mundi partes. at quòd momẽto id fiat, nefas puto. Etenim si ad punctum temporis è cœlo in terram descenderent medium interuallũ transeundo: eodem quoque momento essent in cœlo, in terra, et in interuallo. quod ne in cogitationem quidem cadere potest. Neque tantum Angelos iuuat priuatio materiæ, atque defectio repugnantię in medio spatio: quantum impedit partium, atque locorum distantia.

Angelorũ celeritas.

De Intellectu et Intellectione.
Cap. V.

Intellectio Angelorũ differt ab eorum intellectu.

HIS proximum est, ut de Angelorum intellectione dißeramus. In qua quęstione illud iam est perspicuum, diuersas res esse Angelorum naturas, et eorum intellectiones. quod antea contra Peripateticos cõprobauimus. Restat, ut consideremus, quæ nam sint ea, quæ intelligunt, et quomodo ea cognoscant. Perdifficilis sanè, et perobscura quæstio. Sed quæ ad excolendos animos pulcherrima sit, et ad rerum diuinarum cognitionem necessaria. sic igitur exordiamur. Si Angelus se ipsum intelligit (quod confiteri omnes: negare nemo audet. omnia enim cognoscere cùm possit, cur nõ se ipsum comprehendet?) num ipsemet nullo medio adhibito, suam cernat naturam: an opus sit aliqua specie, quæ eius substantiã illius intelligenti ui repræsentet: aut habitu aliquo, uel consuetudine cõparato, uel insito à Deo, quo aptus, idoneusq; fiat ad se ipsũ agnoscendum? Sed si Angelus sibi adest, præsensq; est: si ea est eius natura, quæ intelligendi ui maximè polleat: si nullum adest impedimentum; quo à sui ipsius intuitu arceatur: si natura, quæ intelligitur, tam excellens non est; ut uim superet intelligendi: si eadem ab omni materia libera, alienaque est: si denique ita illius substantia intelligenti ui est adiuncta; ut una res omnino sint: quid opus est ei aut specie, aut habitu aliquo ad se ipsum intelligendum?

Angelus se ipsum intelligit, et quomodo.

Etenim

Etenim ſpecies,et habitus, aut aliquid afferunt eorum, quæ requiruntur ad intelligendum : aut ſi quid eſt impedimento remouent, et abducunt. At ea,quę neceſſaria ſunt : iam recenſuimus ſine ſpecie,et habitu. Abſuntque impedimenta omnia. cur igitur ſe ipſo non intelliget ſeipſum? Hæc autem ſui ipſius cognitio aſpectu quodam atque obtutu abſoluitur ſine ulla diſcurſione. Id quod indicat Angelorum excellens natura. Quæ ſupra hominum conditionem poſita,acriùs intelligit. Sed cùm ſe ipſum uideat certnatque Angelus obtutu illo quem diximus,eodẽ quoque aſpectu Deum aliquo modo cognoſcet. Opus nanque Dei eſt, atque ipſius quandam retinet imaginem. Animaduertet itaque primùm,quoniam terminatus eſt, ſe non à ſe ipſo, ſed ab alio eſſe productum. Non ex materia aliqua expreſſum : ſed de nihilo procreatum. Mox et incorporeum, et intelligentem eſſe. Atque alias pleraſque omnes uidet perfectiones,quas præpotens Deus in ipſo concluſit. Agnoſcit quoque definita omnia et ab uno infinito effecta, et ad unum æternum adducenda eſſe. Illudque ſimul fieri non poſſe perſpicit : ut bonus à non bono : incorporeus, à non incorporeo: intelligens,à non intelligente proficiſcatur. Eaq; ratione reliquas ſui ipſius perfectiones cõtemplando,in diuinam aſſurgit uim,adumbrateque illam et ægrè in ſui ipſius natura proſpectat; et quaſi per nubem explorat. Tantum enim inter Deũ, et Angelum intereſt, ut ea diſparitas omnem aliam ſimilitudinem,quæ inter ipſos conſiſtere poteſt infinitis partibus excellat. Quare ſimilitudo illa Dei, quæ in Angeli ſubſtãtia fulget, imperfecta eſt,et diminuta.

Angeli ſdiuiduo quodã aſpectu ſe ipſos cognoſcunt.

Angeli naturaliter cognoſcunt Deum.

Angel' maiorẽ habet cũ Deo diſſimilitudinem,quam ſimilitudinem.

Vt-

vtpote quæ eorum mentes in diuinitatis penitissimos recessus perducere non possit. Ea enim cognitio, quę per proprietates comparatur; confusior est; quàm ut rei naturã prodere possit. Ea uerò solùm quæ aspectu, et obtutu absoluitur: perspicua est, et cumulata. Itaq; exquisitè, et plenè Angelus suam essentiam perspexit. diminutè, et confusè diuinam intellexit naturam.

An superiores Mentes agnoscãt iferiores, & quomodo.

Sequitur ut uideamus an inferiores intelligentiæ à superioribus agnoscantur. et si cognoscuntur, utrum omnes; et quomodo. Veteres nanque Peripatetici aiunt, inferiores Mentes à superioribus ignorari. Multique sunt, qui nihil tam magis uerentur; quàm si superior inferiorem cognoscat, imperfectior euadat: fiatque se ipsa minor, atque angustior. Putant enim tam arctè intellectum ea, quæ intelligit complecti, ut ex duabus una fiat natura. In qua congressione intellectum superari faciunt ab ea re, quæ intelligitur. Quamobrem, et induere omnes eius proprietates uolunt. Quod commentum in libro de Homine discutiemus. Alii superuacuam fore iudicant hanc cognitionem, si et intelligentiis ascribatur. Nam, cùm in superioribus inferiorum perfectiones contineantur: si tertia, uel se ipsam uel secundam intelligit, non est ut intelligat quartam: cùm utriusque perfectio in secunda concludatur. Quam sententiã multa consequuntur absurda. Nam quamuis superior, non solùm ordine; sed etiam propinquitatis ratione, qua primæ causæ propior est, inferiores antecellat: tamen Deus dũtaxat omnes omnium inferiorum perfectiones coercet. Reliquæ uerò Mentes definitæ sunt. atque una Idea tantùm participant: quæ fortasse aliis ideis finitima

Sententia Peripateticorum.

Cõtra Peripateticos.

tima esse potest, aut illis præstantior: illas certè non concludet. Quapropter, et imagines ad ideas expressæ: nimirum res ipsæ: eodem se habebunt modo. Interest igitur superioris inferiorem intelligere mentem: cùm illius naturam non cernat inclusam in sua essentia. In altero quoque turpiter labuntur, quòd intelligentias dicunt cognoscere uniuersas species: inferiores mentes comprehendere inficiantur. Quæ enim in cælo intelligentia est, quæ non longo interuallo quodcunque Vniuersale sub Luna positum anteeat? Licebit fortasse Mercurii Menti percipere canis speciem; Lunæ mentem intelligere non licebit?

Restat, ut consideremus num intelligant singularia Angeli necne. Quam intellectionem iidem Peripatetici ab intelligentiis longè semouent. Molestam enim aiunt futuram intellectionem illam, qua beatæ mẽtes et materiam cognoscant, et quæ in illa sunt inclusa. Qui timor in primis eos torquet, qui dubitant, ne si intelligant materiam intelligentiæ: materiæ euadant ipsæ. Sed eos alloquor omnes, qui concedunt cieri orbes ab ipsis mentibus: utrum eas existiment conuersiones cognoscere necne? Si non animaduertunt: quomodo eas efficere possunt? Quòd si motiones gignunt: quomodo non agnoscunt? Materia quoq;, cùm se ipsam non generarit: producta erit à Deo. si autem procreata, quomodo non perspecta?

An Angeli intelligant singularia. Opinio Peripateticorum.

Confutatio Peripateticorum sententiæ.

Intelligunt igitur Angeli inferiores naturas, cum vniuersales, tum singulares. Sed quomodo hæc cognoscant magna quæstio est. Vtrum scilicet species, ab ipsis rebus ui aliqua abstractæ, res ipsas referant: an eædem à Deo, corum mentibus ingeneratæ sint:

Quõ intelligentiæ uniuersalia, & singularia cognoscãt.

ſint: an denique habitum aliquem idem Deus Angelis tribuerit; quo confirmati rerum omnium naturas conſiderent. At ſi adducunt ſpecies Angeli à rebus, ut per eas intelligant: attribuendi illis ſunt duo intellectus: Agens (ut dicunt) et Poſſibilis. Qui mihi uel ab ipſa humana anima ablegandi uidentur. Idem oſtendit ratio illa, quæ ducitur ex Angelorum perfectione: quæ euerti neceſſe eſſet, ſi à re uili, et ignobili ad intelligendum excitarentur. Quam ob cauſam cenſent nobiles, præſtanteſque uiri, non cognoſcere Angelos Mundum hunc: niſi per Mundum illum, quem Deus in eorum mentibus conſignauit. Qui non ex rebus: ſed ex rerum imaginibus; quas ſpecies appellant, conflatus eſt. Cui ſententiæ, etſi non aſſentior; illi tamen nec ualde repugno. Legi enim frequenter, cum apud Dionyſium Areopagitam, tũ apud Auguſtinum, ineſſe quaſdam in Angelorum mentib. rerum formas, ſimilitudines, imagines, ſimulachra à Deo illis impreſſas, et quaſi inſculptas: quibus intelligant quæcunq; norunt. Quæ nomina ſpecies ipſas optimè deſcribere uidentur. Sed cùm nullam uideam neceſſitatem, quæ ad intelligentiam ſpecies requirat; aſſenſionem aliò cogor reuocare. Arbitror nãque, ſi Deus habitum aliquem tribuat mentib. quẽ ipſæ multis intellectionibus comparare potuiſſent; poſſe eas, et exquiſitiùs omnia intelligere; quæ, aut iã ſunt in natura: aut in ſuis efficientibus cauſis incluſæ delitеſcunt. Quemadmodũ qui fidibus pulſat, ut concinnos, et numeroſos efficere ſonos poſſit: longa eget conſuetudine, et exercitatione, q̃ artẽ gignat, et habitũ: inſtrumẽtaq; reddat aptiora et expeditiora. At ſi Deus quod

Mundus intelligibil. ĩ Angelorum Mentibus.

quod iſte multis actionibus, uix tandem conſequitur; ipſe ſua benignitate largiatur: qui ſoni, qui concentus exaudirentur? Cur igitur iiſdem habitibus, Angelorum mentes non confirmabit ad intelligendum? Neque enim ſpecies ſuo aduentu aliquid afferũt, aut remouent, quod neceſſarium ad intelligendum cẽſeatur: quin idem præſtent habitus à Deo mentibus obſignati. ſicut enim habitu aliquo pficitur intellectus, ad rectè iudicandum de iis, quæ ſimpliciter cognita fuerant: cur, et ad eadem cognoſcẽda ſimpliciter, alia quaque ſpecie, habitu reddi non poterit magis idoneus? Neque uerò requiruntur ſpecies, ut coniungant eas, quas referunt naturas Angelorum mẽtibus: ut ſcilicet non ſolùm, quæ longiſſimè abſunt intelligant: ſed, et quæ iam cùm fuerint interiere: et ea, quæ nunquã extiterunt: euentura tamen aliquando ſunt. Fateor nanque ad exeuntes molitiones obeundas, nõ ſolùm neceſſariam eſſe continuationem eorum, quorum agat unum, patiatur alterum: ſed etiam uirium utriuſque quandam proportionem: ne illius, quod patitur repugnantia, uim efficientis eludat. In iis uerò, quæ non egrediuntur actionibus: quemadmodum ſunt intellectiones: quoniam nihil ab efficiente ad id, quod patitur, permanat; nihil eſt opus priori continuatione: ſed uirium proportionem adeſſe oportet. quæ uis, uel pars ſit, et exequata rei, uel illam ſuperet. Hanc autem uirium comparationem, conſequitur intellectus; partim à ſua ipſius natura: partim ab habitu. Quod conſpicuè cernitur in iis habitibus, qui ſtudio, et induſtria comparantur. Nec denique requiruntur ſpecies ad conſeruandam memoriam rerum

rum. Eodem enim habitu optimè retinetur. Nam tametsi multæ res continenter occidant: non tamen harum interniciones memoriam delent Angelorum. Perennis nanque est habitus ille, nec concidit cum rebus. sed quemadmodum aer ab externa aliqua ui primùm impulsus; ita deinde retinet motionem, ut ab alio impelli semper uideatur. Itaque in hanc sententiam multi uiri docti ire uidentur. In primisque Augustinus, qui idcirco ait, animos frequenter multa audire, quæ memoriæ non traduntur: quoniam uoluntas suo nutu aliò abducit intellectum. Quæ auersio impedimento est, ne res illa memoriæ imprimatur. Quòd si propagarentur à rebus species, in nostrosque incurrerent animos; quomodo uoluntas illis ne informarentur obsisteret? Idemque sæpe nullam aliam agnoscit rei intellectæ imaginem: nisi intellectionem ipsam. Sed reuertamur ad habitus. quorum tanta uis est, ut iis Angeli, quæ necessariò euentura sunt, apertè cognoscāt. Si enim ipsi præuidemus futuras cœli conuersiones: siderumque uarias congressiones, et efficientias: quanto faciliùs id facere angelos posse, censendum est? qui et mentis acie multis partibus humana excellunt ingenia: et ab omni materia soluti ad intelligendum sunt expeditiores: et denique miris his, quos diximus, habitibus instructi sunt, quibus homines ipsi destituuntur.

An Angeli cognoscant futura.

Verum cum Vniuersa natura præpotenti Deo sit subiecta, qui sæpe à suis cursibus, rerum causas auertit: impeditque ne multi sequantur effectus: non possunt Angeli ad Dei penetrare consilia: nisi ille ipsa patefecerit. Reliqua uidentur ea, quæ dubii ancipitisque

sunt

ſunt euentus. quæque cùm à liberis pendeant cauſis; poſſunt in poſterum contingere, et non contingere. Hæc coniectare Angeli, certò prænuntiare nõ queunt. Quàmuis enim harum rerum cauſæ ſint illis perſpectæ (ſua nanque ui et animum, et omnes animi uires peruadunt) quia tamen libera eſt uoluntas, et ad agendum, uel non agendum æque propendit: nemini, niſi Deo compertum eſt, in quam partem ſit declinatura. Denique Animi intimi ſenſus, et cogitationes, et ſi iam ſint in natura, Angelorum fugiunt cognitionem. Ea enim uoluntatis eſt uis, ut ſolo nutu occulere poſſit omnes animi motus; ne ab ullo perſpiciantur. Qui nutus ita inteſtinus et naturalis eſt liberis operationibus; ut, et ſi à nobis inter agendũm, nõ animaduertatur; nunquam tamen ab illis diſcedat. Tum demum Angelis reſerantur intimi animorum motus, et reconditæ agitationes: cùm aſſentiendo uoluntas aditum illis patefecerit. Neque enim tãta eſt Angelorum mentium acies, ut uoluntatem obſiſtentem ſuperare poſſint. atque ea inuita, ad occultas meditationes peruadere. Diuina quoque miſteria, cùm omnem excellant naturam, latent Angelos. quouſque Deus diuiniori lumine eorum mentibus ingenito illa aperiat.

An Angeli ĩtimos animorũ ſenſus cognoſcant.

Myſteria latent Angelorũ naturalem cognitionem.

De voluntate, et Amore Angelorum. *Cap. VI.*

CVM rerum omnium initia, et ortus à summo bono ducantur. idcirco cunctis in rebus, et bonitatis uestigium quoddam apparet; et appetitio quædam inest, quæ illas agit in bonum. Principiò in expertibus uitæ corporibus: atque iis, quæ licèt uita prædita sint: cognitione tamen destituuntur, hæc uiget naturæ propensio: quæ illa impellit, ut propriam perfectionem inquirant. Quæ uis acrior in illis cernitur; quæ, et cognitione sunt insignita. Etenim tametsi bruta animantia, quid ipsum sit bonum ignorent: iucunditate tamen quadam tenentur, quæ ea incitat; ut singularia illa sequātur bona, quæ ad suas naturas accommodata prçuiderint. Hæc bona, ubi offenderint: ita commouentur, ut necessitate adacta non possint, non ad ea summis uiribus concitari. Homines uerò, et Angeli præstantiori natura donati: atque ratione, et mente instructi: et bonitatē ipsam agnoscunt; et cùm agnouerint, concupiscunt. Verùm cùm in bonum aliquod incurrunt: non eatenus ab eo trahuntur, ut illud necessariò persequantur. libera nanque quædam facultas est illis concessa; quæ uoluntas nominatur: quaque cætera animalia sunt orbata. In qua facultate tanta uidetur inesse potestas, ut omni ui, etiam diuinæ, cùm non ipsam præter ordinem mouet; resistere possit omnino. Quæ cùm huiusmodi sit, necesse est illam intel-

Volūtas, et Appetitio ī Angelis.

intelligenti naturæ adiunctam esse.cum qua uicissim, et intellectus arctè coniungatur. Quæ enim esse potest bonitatis cupiditas; nisi illius anteuerterit cognitio aliqua? Cur autem boni antecedet cognitio: nisi eam cupiditas aliqua consequatur? Sed de hoc diligentiùs in quæstionibus de Anima. Nunc reuertamur ad Angelos. qui tam præstanti natura insigniti; qualis ea est, quæ intelligens appellatur: et uoluntatem, et libertatem sunt assecuti. Suas nanq; actiones recondunt in sua ipsorum potestate. atque in illis positum est eas agere, et non agere, moliri, et nihil moliri. Hæc autem libertas, licèt longè, lateq; pateat: haud tamen tanta est; ut, aut finem extremum; aut ea, quæ ad illum finem consequendum necessaria sint, respuere queat. Bonum nanq; odisset. Quod fieri nequit. Quamuis autem angeli, et finẽ ament, et ea diligant quæ ad finem ducunt: aberrare tamen possunt, si ea eligant, quæ auertunt à fine. Hæc uero, et eligere possunt: et optarunt quidam. Cuius rei causa esse potuit, non solùm defectio quædam mentis, quæ ea omnia non perspexerit, quæ à fine reuocarẽt, et abducerent: sed ipsa per se indifferens uolũtas: siue ab angelis omnia considerata fuerint: siue, aliqua eorum fugerint intelligentiam. Illa autem quæ non requiruntur ad finem optimum adipiscendum: possunt respuere et optare. Id quod, et in Deo contingit. qui in æternitate à rerum procreatione sese continuit: quoniam ex ea molitione, nulla uel perfectio, uel oblectatio illi accedit. Non intelligere se non potest. quia nec potest uelle, se non esse beatum. Fœlicitas quoque, quæ Angelorum naturam, et gratiam subsequuta

Angelorũ libertas qualis.

quuta est: non labefactauit libertatem. Beati nanque sunt Angeli, neque possunt à recto deflectere; nec ullo modo aberrare: non quòd ui aliqua externa deuinciatur ipsorum uoluntas: sed quoniam eorum iudicia, superna luce sunt confirmata. Quæ cùm uero nõ possint non assentiri; in causa sunt, ne uoluntas tam præclarum bonum, finemque optimum amittere delinquendo queat. Etenim errores, et peccata perpetrantur à uoluntate cum ob defectum rationis, et naturæ, tum præcipue quia carent perfecta præsentia, et possessione summi boni. Quod in causa est, ut omnia expetantur, quæcunque expetuntur. Quam possessionem cùm beati iam sortiti sint; nullus quoque illis à fœlicitate dilabendi relinquitur locus.

Cur peccata fiant.

In reliquis autem bonis, quæ ad fœlicitatem non spectant, amplior libertas Angelis est conseruata. Multa nanque non optant: quoniam illis alia anteponunt.

De adeptione, et amisſione fœlicitatis Angelorum. Cap. VII.

FOELICITATEM plerique omnes nobiles philoſophi, cũ in ſummi Dei cognitione, tum amore poſitam eſſe exiſtimarunt. Eaque de cauſa intelligentes duntaxat naturas, beatas fieri poſſe rectè tradiderunt. Duæ autem res fœlicitatem, ideſt Dei cognitionem, et dilectionẽ præſtare poſſunt. Natura, et Deus. Et quidem Naturam nunc appello, uim illam intelligendi, et amandi qua homines, et Angeli præditi ſunt. Ab hac Peripatetici extremam fœlicitatem deriuari putarunt. Cum enim Naturæ nullum effectorem agnoſcerent, nullum quoque alium beatitatis auctorem exquirebant. Nobis uerò, qui et naturas omnes à Deo effectas eſſe, et eaſdem fœlicitate donari compertum habemus: alia dicendi uia ineunda eſt. Conſtat duo eſſe genera fœlicitatis. Alterum, quod ea continet bona, quæ uis intelligens propriis uiribus, ſibi à Deo tributis, adipiſci poteſt. In quo genere omnes animi eximiæ, moralesque uirtutes primum numerantur. Deinde ſcientia naturalis rerum omnium: inprimisque Dei cognitio, et amor. Alterum genus præſtantiora, atque diuiniora eſt complexum. Adumbratam et incohatam nanque illam cognitionem, et dilectionem, qua Deum proſequimur, perficit. Et innumera alia excelſiora menti reſerat; ad quæ incredibilis ſequitur amor. Etenim Deus mentes ſuperna Fęlicitatis cauſa.

quadam

quadam complet luce; qua illæ, quasi ex tenebris excitæ, in recessus sese abdunt diuinitatis. atque in ea, et præclarissima cernant, et reconditiora non desiderant. Verùm ad hanc lucem consequẽdam, necessarium est diuinissimum quoddam munus: quod, quoniam nos Deo gratos reddit, Gratia à Theologis nominatur.

Fœlicitatẽ naturalem qñ Angeli sint adepti.

Itaque primam illam fœlicitatem, cuius causa est natura, Angeli in ipso limine creationis, eodem scilicet momento, quo extiterunt, sunt adepti. ab eodem nanque auctore Deo, et naturam, et habitus quosdam ad res omnes intelligendum aptos, atque constantes assecuti sunt. Quorum munere intelligentiæ ui Mundum omnem celerrime peruaserunt. Et licèt Deum exquisitè intelligere non potuerint: illũ tamen adumbratè cognouerunt. Altera uerò fœlicitate, eo momẽto caruere. Id quod declarat, quòd eorum multi è cœlo deiecti; eadem, ad quam peruenire mox debuerant, fœlicitate sunt spoliati. Quod accidere nulla ratione potuisse certum est: si eam primo momento assecuti fuissent. Illa nanque tanta nititur firmitate, et stabilitate, ut nec unquã deserat, nec ab alio deseratur. Peccato quidem tolleretur, si amitti posset. sed qui eam possidet, eundem in errorem incurrere nefas est. Hoc ipsum et inde uerisimilius fit. quod omnis natura actione aliqua suam assequitur perfectionem. Quæ perfectio si propriis uiribus, et potestati par est: eidem ueluti effectrici accepta referri debet. sin autem naturæ uis tanta non sit, ut fœlicitatem per se comparare queat: eam diuino subnixa præsidio, donoq́ue gratuito mereri certè poterit. Expectanda itaq; erant Angelorum merita; ut parem illis referret Deus fœlicitatẽ.

Qũo, et qñ Angeli eã fœlicitatẽ, quę eorum naturã excellit sint assecuti.

Quare

Quare probabile est, Angelis, et naturam, et gratiam à Deo in eorum procreatione fuisse impertitam. Illã quidem ut essent, et beatitudine fruerentur naturali. Hanc uerò, ut diuiniorem fælicitatem, et auere, et promereri possent. Cui sententiæ, et ea ratio fidem facit. quòd homini, et natura, et gratia simul à Deo tributa fuit. Cur igitur Angelis, qui præstantiores homine sunt, eandem datam fuisse non dicemus? Illa quoque perfectio, decor, uenustas, quam in uiis tribuit illis Propheta, quæ nam alia esse potuit quàm gratia?

Tu signaculum (inquit Propheta) *similitudinis: plenus sapientia, & perfectus decore, in delitijs Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, & Onyx, & Beryllus, Sapphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus. aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.*

Adde, quòd cum Deus Angelos condere potuisset spoliatos iis, quos diximus mentis habitibus: uoluit tamen omni cognitione illos esse refertos. Si autem eos tãta cognitione donauit, ut fælices, et beati essent, et ad diuiniorem fælicitatem præpararentur: cur non gratiam contulit, sine qua ad finem peruenire nullo modo poterant? Gratiam itaque unà habuere angeli cum natura. Atque eo momento nec aberrarunt, nec peccare potuerunt. Quomodo enim culpa gratiæ adiungi potest? Sed cùm in eo instanti, naturæ quadam commotione ad effectorem, et auctorem Deũ se erexissent: in altero, quod consecutum est, momento liberè propriæ uirtutis, et fidei fecere periculum. In quo discrimine multorum merita probata sunt.

Adeptio, & Amissio fęlicitatis Angelorum.

Quorundam etiam emeritæ culpæ uindicatæ. Verùm quæ culpæ fuerint, in quas incurrerunt Angeli mali, non satis constat. eas referunt quidam in obsequia, quæ agnouerant illi, sese prçstare oportere hominibus ex lege diuinæ prouidẽtiæ. Quæ munera cùm respuerent illi, à fœlicitate sunt deturbati. His ego non assentior. Anteuertebat nanq; fælicitatis adeptio omnem mundi administrationem.quæ iis,qui beatitudinem consequerentur,postea committenda erat. Quãobrem necesse est, ut in ea appetenda aberrarint.Nam si merita,quæ subsequuntur, non merentur eam,quæ antecessit gratiã: ita ea,quæ sequuntur,fælicitatẽ non merentur, nec demerentur gloriam. Igitur uel hæc obsequia non respexerunt: vel si spectarunt, non potuerunt in ijs aberrare,quin prius ab ipsa fælicitate,in quam summo studio,totisque uiribus contendebant, non recederent. Itaque ita mea fert opinio.malos Angelos,etsi summum concupiscerint bonum: illudque pro assequenda fælicitate uehementer optarent: tamẽ superbia quadam naturæ elati Dii euadere magnopere expetebant. Quod quidem se assequi posse confidebant,si gratia, quæ in illos à Deo collata fuerat,contẽpta, ipsi propriis uiribus ascenderent in cælum .i. sua ui, non aliena beati essent. Quod et Propheta illis verbis nobis significare uidetur:

Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui uulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in Cælum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum; & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.

Non

Non desunt etiam, qui dicant Dæmones inuidia corruisse. Quoniam cùm Deus et ipsis, et eorum Principi Lucifero suum consilium, quo humanam naturã diuinæ adiungere destinauerat, aperuisset: optasse ut tantam dignitatem in se ipsum transferret. quem cùm multi laudarent, in idem offendere peccatum. Quocirca tertio momento è cælo deiecti sunt. Boni uerò delecti ad Dei apertam uisionem, extremam inuenere fælicitatem.

De Hierarchiis. Cap. VIII.

HIERARCHIAM sacrum principatum Greci intellexere. Quod nomen Dionysius Areopagita primus omniũ transtulit ad Angelos. quòd, et sanctitate præstarent, et principem locum, secũdum Deum, in Vniuerso obtinerent. Idemque tres esse Angelorum Hierarchias; quarum singulæ ternis constarent ordinibus, se à Diuo Paulo accepisse, literarum monumentis prodidit. Eas autem tali quodam modo construi à Deo facit. Angelos ita Deus procreauit: ut ipse nullo ascito instrumento; omnibus, et naturam, et gratiam, et beatitatem impertierit. Ex quo fælicitatẽ nemini, nisi Deo Angeli referunt acceptam. Supererat adhuc cognitio quædam, et executio diuinæ prouidentiæ. quæ ad mundi, in primisque ipsius hominis administrationem pertinebat. Hæc præclara, et admirabilia erant: fugiebantque omnem Angelorum intelligentiam. Quocirca cùm optaret Deus sui consilii Angelos participes facere, atque ministros: tres insti- Hierarchiarum constitutio.

tuit eorum classes: quarum singulas ternis distinxit ordinibus. Prima Seraphinos, Cherubinos, Thronos complexa est. Altera Dominationes, Virtutes, Potestates. Tertia Principatus, Archãgelos, Angelos. Idque ab ipso summa ratione est effectum. Tribus nãque modis poterant Angeli ad diuina penetrare consilia. Primum ea in ipsa prima causa intuendo, quod contigisse primæ Hierarchiæ plerique omnes Theologi testantur. Deinde in amplis quibusdam speciebus. quæ multa unà connexa referrent. eaque cognitio tributa est alteri Hierarchiæ. Denique in singulis speciebus singula repræsentantibus. quod extremæ euenit. In has autem nouem ordines admirabili consilio inseruit. Singulis enim munera quædam delegata sunt. quæ cum in diuinam cedunt gloriã: tum in prouidentiæ executionem conspirant. Principiò Seraphinorum proprius est incredibilis quidã amor: quo inflammati sic in Deum rapiuntur; ut cum illo arctissimè coniungantur. Cherubinis intelligentia quædam admirabilis est tributa: qua maximè fruuntur Deo. Throni tanquam firmissimæ quædam sedes, et tribunalia sunt. In his Deus insidens iudicia sua ex illis emittit. Alterius Hierarchiæ ordines ad bonum spectant Vniuersi. Potestates malos arcent Dæmones: illisque uehementer obsistunt, ne hominibus graues inferant iniurias. Virtutes ardua, et difficilia omnia præstant: et quæ naturam excellere uidentur absoluunt. Dominationes, et Virtutibus imperant, et ut imperata facilè conficiat uiuant, easque optimè dirigunt. Extremæ hierarchiæ primi Principatus Prouinciis præsident. Archangeli, et Angeli homi-

Hierarchiarũ ordines.

Ratio quã Hierarchias Hierarchiarũq; Ordines moliẽs De' sequutus est.

hominum custodiam sunt sortiti. Illi quidem peragentes, quæ in multorum cedere bonum uidentur. Hi autem quæ ad singulos spectarent homines.

Seraphinis igitur, qui in aditu, et uestibulo diuinitates considerant, opportunis téporibus aperit Deus, quæ in æternitate firmauit. Hi uerò, quæ à Deo accipiunt Cherubinis significant. Cherubini Thronis. Throni dominationibus. Eoque ordine inter se colloquendo ad Archangelos, et Angelos diuina mandata perferuntur. quæ ubi acceperint, ut Principi Deo uoluntati obediant: illi quidem ad grauiora: hi ad minora negotia obeunda, in uarias mundi partes celerrimè proficiscuntur. In quibus muneribus peragendis speciosa quandoq; corpora asciscunt. Ex quo sępe eorum uoces exauditæ: sæpe uisæ formæ Angelorum.

Executio ꝓuidentiæ ꝑ Angelos quõ fiat.

Quomodo autem superiores Angeli inferiores illuminent, quomodo inter se colloquantur, difficilis quæstio est. Et quidem illuminationem sic explicant quidam. Principiò aiunt, superiorem Angelum sese ad inferiorem conuertere. eaq; cõuersione inferioris mentem corroborare. Perinde ac id, quod maiori uiget calore roborat, et auget, quod minus calidum si illi appropinquet fit. Idem enim præstat in Angelis ea conuersio quod in corporibus appropinquatio. Inferioris autem mente confirmata, atque præparata dicunt superiorem speciem illam rei, quam in se habet, quoniam uniuersalior est, et captum superat inferioris, diuidere; ita ut in multas particulares illam dispertiat, quæ aptæ sint alterius menti. Eoque modo Angelos, res uel à Deo, uel à superioribus mentibus acceptas, inferioribus significare. Ad locutionem autē

Disputatio de luce, et modo quo Angeli illustrantur, et de eorũ sermone, et locutione.

duo requirũt. Alterum eſt imperium uoluntatis,quo Angelus,qui loquitur,ſenſa quæ eloqui, et exprimere cupit,ad alium diſponat. Quemadmodum nobis uſu uenire ſolet, qui dum nobiſcum loqui deſideramus, animi ſenſus reconditos primùm ex noſtra mente exprimimus; illosque in nos dirigendo nobis ipſis patefacimus. qui ſermones interioribus uerbis fieri dicuntur. Si autem animus à corpore ſegregatus eas cogitationes in alium conuerteret, et eas illi aperiret, et cum eo colloqui diceretur. Deinde efflagitant ſignum quoddam,quo Angelus moneat alium,atq; ad audiẽdum excitet. Signum inquam,non quod ſub ſenſum aliquem cadat, ſed quod mente, et intelligentia ſentiatur. Hæc illi. Quæ mihi,et incerta, et falſa uidentur. Nam ea confirmatio mentis inferioris,quæ per cõſeruationem ſuperioris ad illum fit; quæro res ne ſit aliqua,quæ illi imprimatur, necne.ſi non eſt res quomodo illuminat, et illuſtrat illius mentem? Hoc enim munus alicuius qualitatis eſſe uidetur. Si uerò eſt res aliqua; ab Angelo certè non gignetur. Nullas nanque alias habet uires, niſi mentem, uoluntatem, poteſtatemque mouendi: Mens autem, et uoluntas nihil extra ſe moliri poſſunt.Mouendi quoque uis res ſolùm alio transferet, traducet. gignet autem nihil. Deinde ea conuerſio, ſi idem præſtat in Angelis, quod in corporibus approximatio, nihil efficit. Corpora nanque non agunt inuicem approximatione, ſed naturis, atque uiribus: quibus ſe ipſa propagant,ſibique ſimilia gignunt. Tum ea uniuerſalis ſpeciei partitio, ſciſcitor, quæ nam ſit, et quomodo fiat? Scindit ne ea Angelus, atque diſcerpit?

Sed

Sed iam indiuidua est. Quòd si diuidi etiam posset, maiori ui opus esset, quàm ea, quæ inest in Angelo. oporteret nanque, et mentem Angeli diuidi, quoniã illi inhæret. An uerò gignit plures species, easque in mentem inferioris consignat? Sed ad hanc efficientiam necessaria est uis aliqua, quæ species a rebus abstraheret: quam isti negant Angelis conuenire. siqui uerò eam concedunt, aiunt quoque in coniuncto sibi intellectu species illas imprimere. De locutione etiam multa peccant. Etenim primùm conuersio illa, qua Angelus sensa dirigit in alium, quid nam est? Nam si res est, erit certè actio aliqua. At quæ nam actio? Aut intelligentia, aut cupiditas, aut denique motio. At motionem non esse constat. Intellectionem autem, uel amorem nefas est. hæc enim suarum uirium perfectiones sunt. Aliud autem, quod extra sit, informare non possunt. omnis autem sermo, qui cum aliis habetur, per actiones quasdam exeuntes expletur, ut per signa, per nutus, per uoces, et huiusmodi multa alia. Deinde quomodo eriguntur Angeli ad audiendum, quæ est illa excitatio? quæ attentio? sensus enim iccircò ad audiendum excitantur, quoniã pulsantur à re obiecta, quæ uel sui præsentia uel specie mouet sensus. At hæc imprimendi pulsandique uis non inest in Angelo. Quocirca si nullo modo Angelus Angelum informat, nulla intelligi potest mẽtis excitatio: nulla erectio. Verisimilior, atque facilior ille est colloquẽdi modus, qui solum ferè nutum requirit. Etenim Angeli mentis sensa naturaliter recondita, occultaque habent. Resistunt enim aliis ne intelligant repugnantia quadam uoluntatis, quæ

liberis

liberis actionibus intimá est, et naturalis. cùm igitur Angelus alium alloquitur, eadem uoluntate omnem tollit repugnantiam, eligitque ut alter uideat quæcunque cupit. ea autem repugnantia sublata, aperiuntur statim sensa illa, quæ antea delitescebant, cernunturque ab Angelo, quem alloquitur per species (ut quidam sentiunt, ab illis abductas per intellectum agentem. Nos autem, quibus nullæ necessariæ uidētur species ad intelligendum, præsentiam solùm, et proportionem inter mentem, et ea, quæ menti obiiciuntur exigimus. Quæ suaptè natura tanquam percutit, et pulsat intellectum: nisi cogitatio occludatur contraria uoluntate. Eadem quoque præsentia, atque rerum obiectarum proportione ad audiendum excitantur. Illuminatio autem nihil aliud est, nisi sermo quidam, et collocutio inter superiorem Angelum, et inferiorem. Hic sermo plura exposcere uidetur, quàm requirat locutio illa, quæ fit inter duos Angelos eiusdem ordinis. Nam cùm superiores notiones ampliores, communioresque sint: excellunt inferioris captum. Et quamuis uoluntate (ut diximus) aperiantur, non possunt ab illo ullo modo intelligi. quare diuisione quadam, et concisione opus est. Non ea quidem, quæ aut speciem diuidat, aut minutiores imprimat in alio. (nullæ enim sunt species, et si essent, non potest Angelus eas, aut discerpere, aut ad alium propagare) sed ea; quæ notiones acommodet ad inferiorem mentem. Hæc autem accommodatio facillimè fit, si superior ea, quæ uno obtutu uidet, pluribus cernat aspectibus, atque iis, qui apti sint, ut ab inferiori intelligantur. Eoque modo concide-

re

re minutius intelligentiam dicitur; et illam inferiorem mentibus aptare. Ex hac Angelorum illuminatione omnia ferè communia fiunt, ex quo incredibilis et singularis quidam amor exoritur, quo se mutuò prosequuntur, atque erga Deum maximè inflammantur: cùm illum iucundissimæ illius possessionis auctorem agnoscant. Itaque Angelorum ordo: diuinæ lucis emissio; scientiæ nomine à Dionysio designata. lucis item ab uno in alium transmissio. quæ ab eodem operatio nuncupatur, principia sunt cœlestium Hierarchiarum. Finis autem est imitatio quædam, et adumbratio Diuinitatis. Quare luculenter sanè Dionysius Hierarchiam, et sacrum ordinem, et scientiam, et operationem, et imitationem quandam Diuinitatis definiuit. ordines autem Angelorum, quos recensuimus, non ita accipiendi sunt, ut pares faciant mentes illas, quas complectuntur. Ex iis nanque, qui in eodem censentur ordine, Dionysius ait quosdam esse supremos, alios medios, nonnullos extremos. Quomodo igitur pares? Qui si pares essent, nulla in iis pulchritudo cerneretur. quæ non nisi in disparitate conseruari potest. Id quod uel maximè confirmat Angelorum omnium omnes diuersæ naturæ, atque meritorum uarietas, quæ diuersam eorum significant illuminationem. Quare sunt qui ne duos quidem Angelos, in hac illuminatione pares agnoscant. A quibus non dissentio. Cooptantur autem Angeli à Deo in uarios ordines, cũ ob præstantem eorum naturam: tum ob gratiam, et merita quæ præstiterunt. Hierarchiæ denique, atque ordines, neque inter se diuulsæ, neque sunt ab Vni-

uerſo diſiunctæ. Connectuntur enim res omnes caducæ in homine. Homines autem cum Angelis per mentem coniunguntur; illuminantur enim frequenter ab illis, atque eos continenter cuſtodiunt.

NICOLAI CONTARENI
IOANNIS GABRIELIS FILII
PATRITII VENETI.

De Principiis, et Affectionibus rerum naturalium. Liber Quartus.

AD VIRVM AMPLISSIMVM Leonardum Donatum.

De Principiis. *Cap. I.*

DIXIMVS de Vniuerso Mundo, diximus quoque de præstantissima illa perfectione, quæ ab omni materia segregata ad diuinam naturam propius uidetur accedere. Nunc res expostulat, ut Mundum hunc corporeum et aspectabilem ponamus in medium, discutiamus, consideremus. Etenim cùm in eo eximia cernatur pulchritudo, quæ mirificè oblectat oculos; fieri non potest, ut diuinitatis uestigia aliqua occultiùs nó delitescant. Quæ ad recreandos, reficiendosq; animos magnam uim habeant. Verùm cùm undique compactus, concretusq; sit: illud primùm quæramus, quæ, et quotnam sint Principia rerum naturalium, ex quibus Mundi partes corporeæ

Antiquorũ cõtrouersia de principiis.

coaluerint: Qua de re prisci philosophi diu inter se sunt altercati. Quorum discrepantes sententiæ cum ab Aristotele, tum ab aliis plerisque eruditis uiris recitatæ, et confutatæ, non est ut hoc tempore eas coarguamus. Neque etiam res digna uidetur, de qua disseratur. Multi nanque noua quædam rerum principia in naturam introduxerunt, quæ qualia essent, et quo modo inter se ad rerum coagmentationem conuenirent, nulla potest ratione comprehendi. Inane, Infinitionem, Atomos posuit Epicurus, quarum concursione omnia conflarentur corpora. Alii ex lineis, et figuris res componunt physicas. Quæ mihi dissimulãter dici uidentur. Illud certum est, si figuras uera faciunt eorum, quæ gignuntur, principia, eos in maxima rerum ignoratione uersari. sin autem figuras asciscũt, ut principia uel recondant, uel explicent, malè eos philosophari.

Platonis sẽtentia de principiis.

Sed Platonem audiamus, qui ubi de Principiis disputat, modò duo, modò tria esse ait rerũ initia, ex quibus efficiantur omnia, quęcumque fiunt. Primum Infinitum, alterum Terminum appellat. Infiniti autem nomine, materiam quandam, cui adiuncta esset priuatio omnium formarum, intelligebat. Termino formam indicabat; quòd materiam sine ordine fluctuantem cohiberet.

Aristotelis opinio de rerum naturalium principiis.

A Platone autem non dissentiens Aristòteles, Præceptoris uerba labefactauit, confirmauit sententiam: Eamque suo nomine fecit illustrem. Priuationem enim quam Plato cum infinito copulauerat, disiunxit ipse. Atque materiam, et priuationem duo rerum principia constituit. Terminum quoq; retinuit, et eum appellauit formam. Tria autem duntaxat principia posuit, quia

hæc

hæc requiri in omni generatione intelligebat. Reliqua omnia quòd ex his cōficerentur, et absoluerētur, non esse percensenda inter principia, rectè existimauit.

Quæ sententia nec multum dissentit ab his, quæ de Mundi generatione tradidit Moses. Etenim cùm nobis Vniuersi effectorem primùm prodidisset, mox explicans quo naturæ ordine concreuerit mundus; Terram inquit, principio creatam fuisse à Deo. Terra autem erat inanis, et uacua, quęque omnem fugeret prospectum. Terræ magnitudo erat abyssus. Abyssus inquam, tenebris undique circumfusis. Quæ aduentu lucis euanuerunt. Hæc mihi uidentur Materiam, Priuationem, Formam exquisitè referre. Materia nánque omni forma destituta, ita uergit ad nihilum, ut, et inuisibilis terra, et inanis, rectissimè à Propheta nominetur. Abyssus dimensio illius est, de qua dicemus postea. Tenebræ priuationem non significant solùm, sed sunt etiam. Lux nulla erat, quoniam tenebræ aderant; idest rerum omnium priuationes. Luce adueniente abeunt tenebræ. At quæ lux illa fuit? Tum Sol nullus cernebatur, Luna, astra, firmamentum nullum. Forma itaque fuit, quæ tenebras eiecit è materia. *Moses de rerū principiis.*

Ex his efficitur tria esse rerum naturalium principia. Quod et illæ ostendunt rationes. Plura nanque non requiruntur in rerum generatione. Ex materia nanque, et forma constant omnes. Præter hæc nihil cernimus, quod ex illis non nascatur. In ipsa uerò rerum generatione adest materia: quasi subiectum quoddam, in qua explicatur generatio. Abest forma. Aderit igitur formæ priuatio. Vnum itaque quasi subiectum quoddam, quam materiam appellamus.

Alte-

Alterum principium à quo incipit generatio. Hæc priuatio est. Tertium generationis terminus, et quies; quæ forma dicitur. Eundem numerum principiorũ confirmat, et generationis conditio, et contrariorum natura. Generatio quidém quoniam absolui non potest sine contrariis, et subiecto. Contraria autem prima in uno quoque genere duo tantùm sunt. quare tria rerum, quæ gignũtur, initia. Plato autem in Phædro principium ita definiuit, ut esset id, ex quo fierent omnia, quæcunque fiunt, ipsum uerò ex nullo duceretur. Si quidem si ipsum ex alio fieret, non fieret ex principio. Pergit idem, atque intimam principij quandam explicat affectionem. Principium inquit, quoniam ex alio effectum non est; ideo nec corrumpitur. Si enim perierit, reficietur nunquam. Quocirca, et omnia consumi, et destrui necesse esset; quoniã principio destituerentur. Hæc (ut mea fert opinio) primo congruunt principio. Aristoteles tamen eam Platonis sententiam transtulit ad materiam. Cui certè non conuenit. à Deo enim effecta, ab eodem euerti omnino potest. Quare si intelligit Aristoteles ita primam esse materiam, ut ex nullo alio principio fiat, rectè sensit. et Nos ei assentimur.

De

De Materia. Cap. II.

MATERIAM rei potius umbram, et ſimulachrum, quàm rem aliquam iudicarunt Nobiles, præſtantesque viri. Tam enim anguſta est illius natura, ut ſui exiguitate omnem ſenſuū fugiat aciem, intellectusq́; iudicium fallat. Cuius rei cauſam materiæ infirmitati ad agendum iidem attribuunt. Cùm enim omne, quod à nobis percipitur, ſpeciem quandam gignat, quæ noſtros animos informet. Materia nihil imprimit in ſenſu, nihil ſignat in intellectu. Pulſant ſenſus formæ rerū, et qualitates, mentemq́ue excitant ad intelligendum. Quibus cùm careat materia, omnem fugit intelligentiam. Quocirca cùm huius rei cognitio multis obſtructa eſſet difficultatibus, adulterina quadam cognitione, ut aiebat Plato, plerique omnes materiam indagarunt. Similitudine nanque, et negatione agebant. Quæ cognitio et infirma eſt, et rem ipſam uix prodere poteſt. Nos uerò hos modos non improbamus: quòd ad uerum inquirendum ualeant plurimum. Non poſſe autem materiam ipſam quid, qualisq́; ſit comprehendi, à nobisq́ue percipi, non tam uerè mihi dici uidetur. Qui error ex eo ortus eſt: quòd ad omnem perceptionem rerum ſpecies requirant, quæ in noſtris imprimantur animis. Has cùm materia gignere non queat, quia agendi ui ſit deſtituta, eam comprehendi non poſſe ſunt arbitrati. Ego quidem ad intelligendum ſpecies non expoſco, ſed habilitatem quandam mentis efflagito, quam nobis ingenerauit natura.

Materia cur difficilis cognitu.

Hæc

Hæc habilitas nullam exigit ſpeciem, ſed ſi actu ſit et habitibus confirmata rerum omnium, licèt fugientium naturas peruadit. in nobis uerò et obſcurior eſt, et ad intelligendum infirmior. Viget in Angelis, quoniam illam habitibus exornauit Deus. Materia igitur etſi ob ſui exiguitatem, non admodum apertè in intellectum incurrat, poteſt tamen eo modo, quo eſt in natura, huius habilitatis, habitusque munere à mente comprehendi. ſed rem ipſam aggrediamur. Principiò diſtinguũt Philoſophi tres materiæ notiones. Prima nobis refert, quid in ſe ipſa materia ſit. Altera quid illi conueniat ad generationem, formasque excipiendas dirigitur. Tertia eſt illa, quæ iam materiam formis ornatam repræſentat. Duas poſtremas plerique omnes facilè concedunt. De prima utrum ulla ſit, magna diſſenſio eſt. Quã ſi rectè diiudicare uelimus, mente, et cogitatione materiam ſeparemus à forma, eamq; cogitemus effectam à Deo, non ad hunc uſum ut res ex ea fierent: ſed ut ipſa eſſet in mundo. Hoc modo materia mente percepta, fidenter auſi ſunt dicere quidam, eam nullam eſſe naturam: ſed nomen quoddam inane, cui res nulla ſubiiciatur. Subſtantiã non eſſe, nec perfectam, nec imperfectam: non qualitatem aliam. Verùm ſi illius ſecundam intueamur notionem, ſubſtantia eſſe poterit, et corpus ſi formæ adiungatur. Ab iis uerò ſeiuncta, potentia quædam erit in rerum cauſis incluſa. Potentia inquam nõ quę agat: ſed quæ patiatur, et recipiat in ſe omnes rerum naturalium formas. Iidemque uſque adeò materiæ extenuant uim; ut negent eam uel Dei infinita poteſtate ſine forma poſſe ſuſtineri, ut ſe ipſa ſit, atque ſine

Tres materiæ notiones.

Diſputatio de Natura materiæ.

forma consistat. si enim se ipsa iam constaret, nō esset materia, quia materia est potentia. Potentia autem si subsistat, desinit esse potentia. Differre quoque hanc potentiam dicunt ab ea, quæ fuit ante Mundi constitutionem, quòd illa ab agendi ui Dei non internosceretur. Poterat nanque Mundus iccirco creari: quoniā creare illum poterat Deus. Hanc uerò, de qua loquimur, potentiam ita in suis causis concludi putant; ut possint iccircò res gigni, quoniam causas habeant, à quibus contrahere possint ortum. Quamuis in illis nulla gignendarum rerum pars insit. Hæc illi, et multa alia, quæ à ueritate desciscere uidentur plurimùm. Etenim si materia non est substantia nec perfecta, nec inchoata; quonam modo ex ea concrescere possit substantia non uideo. Formæ uerò si ex ea exprimantur potentia, quæ nihil est, nullæ quoque et ipsæ erunt. Materiam igitur dum infirmant, et tollunt, generationem tollunt rerum omnium. Ea nanq; potentia, cum nihil sit, nisi nomen, non poterit causa esse, ex qua rerum gignantur naturæ. Quas cùm uideamus continenter et oriri, et occidere, perennis quædam rerum procreatio introducenda est, quæ in locum subeat generationis. Itaque si materia est pars rei, quæ gignitur: si est formarum fundamētum: si seminarium, ex quo ducuntur omnia, quæ lunæ cō plexu continentur, erit etiam aliquid sibi ipsi, præter potentiam. si enim sibi nihil constaret, non esse materia. Id nanque quod potest esse, iam non est. Denique si hoc materiæ nomen non est inane, sed rem aliquam prodit, quæ sit, et constet; notionem quoque habeat necesse est, per quam sit. Quod uerò suæ essen-

tiæ nullam rationem habet in iis, quæ sunt, non rectè annumeratur. Est itaque materia actus ut definitur actus in prima philosophia.i.quod nō habet causam, à qua futurum sit. sicut hyeme rosa, cuius essentia est in planta. Habet enim aliquid materia, per quam, et materia est,et non est forma. Quæ, et Platonis, et Aristotelis fuit sententia; Vterque enim materiā principium, partemq; rei appellat. Igitur materia est substantia quædam adumbrata, et inchoata: ut rem potius imitari, quàm aliquid esse uideatur. Huius essentiæ intima est habilitas.quædam, ad omnem sui generis perfectionem consequendam. quam potentiā philosophi nominarunt. Hæc non est materiæ aliqua imperfectio, ut quidam censuere; sed perfectio illius summa, quæ formis expletur. Posse nanque esse perfectum, non est imperfectio. Alioquin nullum animal infælicius homine, quoniam nullum fœlicitatis capax est. solus homo potest esse beatus. Est igitur perfectio ad perfectionem, quoniam hæc potētia propendet in formam. Intelligenda autem est materia in hac notione, tanquam corpus quoddam immensum, ac penè uastum: non tamen infinitum. Quæ magnitudo materiæ tam arctè adiuncta est. ut eam nunquam deserat, neque deseratur ab illa, ut ex ea corpora conflari possint. Quamuis autē tanta magnitudine prædita sit, non tamen terminis caret omnino. Se ipsa enim definita est, etsi à nulla definiatur forma. Nullum nanque corpus infinitum. Terminatur etiam cœlo. quia hæc, et illius materia, una nō est. Et si eadem esset, circumscriberetur Mūdi extrema ora, atque determinatione. Etenim si Mundus definitus

Affectiones materiæ.

Materię magnitudo,

tus

tus eſt, non poteſt materia infinitum implere ſpatiũ.

Si autem à formis, ut cogitatione, ita re ipſa eſſet ſeiuncta, nuſquam ſubſiſteret, non abiret tamen in nihilum. ſuſtinerique poſſet à Deo; contra id ac ſenſerint multi. Nunc autem cùm formæ ſemper ſit adiuncta, ab ea continetur. Hanc materiæ inopiam cùm cerneret Plotinus, in eam opinionem eſt adductus, ut eam, et malum eſſe, et malorum omnium, quæ in Mundo fiunt, cauſam conſtanter aſſeueraret. extrema inquit indigentia preſſa eſt materia, imò ipſamet indigentia uidetur. cùm omni forma, uirtute, pulchritudine ſpecie, qualitate careat. omnino deformis, omnino turpis, omnino mala illi uidetur. Plotinus ait materiã et malum eſſe, et malorum originem.

At ſi idem dicit, fas nec unquam fuiſſe, nec eſſe, aliquid niſi pulcherrimum ab eo, quod eſt optimum, promanare: quomodo materiæ affectionem, ſi malum eſt Deo, aſcribit? Si autem delegauit ſummus Deus Diis iunioribus rerum caducarum, et mortalium formationem, cur ipſe ſibi gignendi malum curam retinuit? Quomodo autem ſi ipſum malum, ipſumq; turpe eſt materia ad hanc admirabilem Mundi fabricam, pulchritudinemque eximiam adhibetur? Profectò effluxerũt à Deo miro ordine imagines quædam diuinitatis; quæ uel ipſam infimam rerum omnium materiam attingunt. et ſi enim materia tota flexibilis, commutabiliſque ſit: tamen nec perit unquam, nec aliqua illius pars deperditur. ſed Dei æternitatem adumbrat. Quocirca Cabaliſtæ duos in Vniuerſo abyſſos conſtituunt, excelſum alterum, qui Deus eſt, et quem mens nulla peruadere poteſt. Infimum alterum; nimirum materiam, qua nihil inferius reperitur.

tur. Iisdem hi duo abyssi, duo sunt extrema uniuersi. Malum itaque non est materia. Neque etiam est causa mali. Non enim ut aiunt, meditatur corruptionem, et internitionem rerum, quoniam à natura primario eius consilio data non fuit ob commutationem, ut ubicumque illa sit, ibi etiam sit mutatio: sed ad sustinendas formas, quæ stare se ipsis non poterant in natura. Secundo autem loco, et minori utilitate ad generationem, et uicissitudinem rerũ à Deo tributa est materia. non abeunt nanque formæ, quoniam exigantur à materia, quæ non agit, sed patitur solùm. Aegritudines uerò, dolores, interitus, mortes, formarum infirmitati, cœlique uariis impressionibus, atque pugnantibus inter se contrariis qualitatibus sunt tribuenda. Sed ueniamus ad secundam notionem, quæ nobis materiam formarum omnium expertem refert, ad eas tamen conuersam, atque directam. Cùm enim formarum omnium, quæ ex illa exprimi queunt sit capax, oportet illis omnibus carere materiam. Nam cum in ipsa effingi debeant, si propriam aliquam haberet formam; cùm contrariã, uel dissimilem susciperet, aut propria interiret, aut si ea conseruaretur exquisitè alterius naturam inducere nõ posset. Ita tamen ad formas est affecta, ut illas appetere uideatur. Ad quas suscipiendas cum à Cœlo, cum à particularibus causis concitatur te impellitur. Cœli nanque motionibus, res omnes uicissitudine quadam oriuntur, et occidunt. iisdemque materia per se apta ad uarias mutationes subeundas, urgetur. ordinem uerò à particularibus causis accipit. Illæ nãque qualitates quasdam in materia imprimunt, quibus

Ad quos usus materia sit effecta.

Secũda Notio materiæ.

Appetio Materiæ quã nam sit.

bus illam aptiorem efficiunt ad hanc magis formam quàm ad illam excipiendam. Vbi uerò cum forma cõgreditur ad absoluendum concretum: causatur materia, ut forma subsistat. Magis tamen forma id ipsum præstat materiæ. sunt igitur materia, et forma se inuicem iuuantes causæ. cùm una absque altera, nec esse, nec suum opus absoluere queat. ubi autem forma orta est, materia fit subiectum, et fundamentum formarum. Atque hæc est illa, quam tertiam appellant notionem. Non reiicit autem formas materia, ut diximus: sed illæ iam senescentes abeunt, aut repugnantibus inter se aduersis qualitatibus extinguuntur. Tertia materiæ Notio.

De ortu formarum. Cap. III.

CONSTANS sententia est, atque Philosophorũ omnium firmata consensu, et oriri formas, et occidere. atque cum illis modò res generari physicas, modò corrumpi, dispari quadã conditione. Exprimuntur nanque formæ ex materia ipsa à ui aliqua efficiente. Formæ uerò expressæ generationem absoluunt. Composita autem cùm ipsam generationis absolutionem sequantur, nullam habent uim efficiendi, sed propriè gigni, et interire, non gignere, dicuntur. De modo autem quo oriantur formæ magna dissensio est. Quidam nefas putant eas ab alia gigni causa, nisi à diuino quodam numine, quæ illas procreet. Verùm isti dum formarum omnium initia, et causas duntaxat Deo tribuunt, non sentiunt sese, et vniuersi ordinem perturbare,

Formæ oritur, et occidit. compositum autẽ propriè gignitur et interit.

De ortu formarũ uariæ sententiæ.

bare, et rebus mortalibus omnem efficiẽtiam eripere.

Alii cunctas rerum formas in materia confusas delitescere censent, quæ deinde efficientium causarũ ope prodeant in lucem. Has non formas, sed inchoationes quasdam formarum esse dicunt. ex quibus efficientium causarum munere res perficiantur physicæ. Quam opinionem eo explicant exemplo. Materiam aiunt, similem esse lapidi in figuram hominis sic formato, vt eam humanam esse formam constet: nondũ tamen appareat, cui nam mortalium similis sit. Efficiens autem causa, tanquàm probus statuarius, eam distinctiùs exculpens, alicui effingat similem. Nemo tamen nisi mentis expers sit, dicet statuarium lapidi illam omnino impressisse figuram. Sic aiunt equum non tribuere formam equo, quem gignit. Hæc enim in materia ab æterno inerat. sed illam ab aliis distinguendo exquisitè formare, ut iam equus emergat, atq; existat. Totam hanc rem illis explicant uerbis: nimirum essentias rerum in materia anteire omnem efficientem causam: Esse, autem, *ab agente impartiri.*

Contra quos iam ostendimus materiam, cùm alterum sit Vniuersi extremum, et obscurissimè esse, et nullam aut formam, aut formarum semina, et inchoationes in se complecti. Quòd si formarum essentiæ sunt in materia inclusæ, quomodo non consistit materia rerum omnium naturis exornata? Etenim quæ de Essentiæ, et Esse distinctione commouent, et nouum est, et commentitium. Hæc enim falsò internoscunt: cùm idem sint; si res in natura substiterint. Si uerò in nostris solùm impressæ sint animis: cùm non subsideant in natura; non res, sed rerum notiones

nes rectè existimantur. Deinde formarum semina illa si in summam euaserint perfectionem, vt perfectę fiāt, quomodo non augentur? Substantiæ uerò cùm sint, eas crescere intelligi non pōt. Restat igitur si formæ ex aliqua nascūtur causa, eas ex efficiente, atque materia exoriri. Quid autem præster efficiens causa, quiduè materia, atque quomodo gignatur; non uidetur posse comprehendi. Iudicarunt quidam nostræ ætatis acutissimi uiri; in uiuentium seminibus (ut de iis nunc loquamur) concludi formas ipsas animātes. quæ oculos fugerent, quoniam uitæ functiones in iis nullas cerneremus. Inesse tamen animas in seminibus, (vt loquuntur) in actu primo. illisque uitam tribuere, atque animantia facere. Deinde aiunt, eandem animam ædificare sibi corpus. Quoniam primùm, et mutat materiam, et uertit. Mox confingit membra, atque præparat, ut apta sint ad prodendas actiones animæ alias. motionem, uisionem, cogitationem, quas secundas appellant. Primas nāque munerum functiones illas esse dicunt, quas explet anima in effingendis membris. Eo itaque modo affirmant animam ad exercenda officia cum ipsa corporis ædificatione, paulatim promoueri. Vbi autem corpus absoluerit, educi; idest emergere, et prorumpere in operationes, cùm delitesceret antea. Hæc cùm acutè disputant, non uideo cur, et subtiliùs illud non addant. Leonis semen, ipsum esse Leonem. etenim inest in semine, anima ipsa Leonis. Quæ et uiget, et agit, et est sui corporis procreatrix. Anima quoque quomodo in semine cōseruabitur, in quo nulla cernuntur instrumenta; quæ exquirit natura ad illam in corpore continendam.

Illud

Illud etiam, quod in abditis rerum caufis quidam recondunt, longè abhorret à Philofophia. Aiunt exprimi formam è materia; quadam antecedente præparatione: quæ affiduo fiat incremento. Quam accretionem forma comitetur, ut ab exordio generationis augefcat et ipfa, quoufque ad fummam euaferit perfectionem. tum enim ad fubftantiæ formam peruentum erit. Sed fi incrementum affumit forma, quomodo erit fubftantia? Cumq́ue incipiat cum ipfa qualitatum commutatione, eamq́ue deferat nunquam, non fiet momento. Horum itaque fententias miffas faciamus. Veniamusq́ue ad Peripateticos, qui rē hanc, et ueriùs, et exquifitiùs exponunt. Ariftoteles nanque multis in locis ineffe uim quādam in femine ait, quam corporis conditricem appellat: eamq́ue dicit, et gignere formam, et exprimere ex materia. Vis itaque illa, quæ delitefcit in femine, et fingula conftringit mēbra, et corpus ædificat Vniuerfum. In qua conftructione cælefti quodam calore, quem fpiritum frequenter appellat, utitur tanquam *inftrumento*. Neque uerò hoc loco audiendi funt illi, qui dum *uitalem hunc* calorem feminis partem faciunt, illum interim omni fpoliant efficientia: quod nihil fit, quod in fe ipfum agat. Multa nanque agnofcimus inftrumenta, quæ et partes funt ipfius compofiti, et in eodem miras produnt operationes. Quod in innato animalium cernimus fpiritu. in quo cùm calor humori adiunctus fit, calor humore depafcitur. Deinde uis illa nihil molitur ex materia, in qua ineft, fed ex alia, quæ aliunde exhibetur. Eoq; commodiùs, quòd fpiritus agit in corpus, ut illud perficiat, non ut confumat. Non folū

autem

autem uis hæc corpus construit, atque effingit: sed etiam causam continet gignendæ formæ, similis illi, à qua ipsa est profecta. Vbi enim totius corporis fabricam expleuerit, iamque membra præsto fuerint ad uitam suscipiendam, materiæ ita arctè iuncta est, et sic in eam instat, et incumbit, ut momento formam gignat. non quòd illam imprimat in materia; sed sua ui è materia sibi subiecta, et præparata eam exprimit, et elicit. quod opus puncto temporis absoluit.

Cæterum cùm tanta in corpore cernatur uarietas, et ordo: fieri non potest, ut hæc admirabilis fabrica à diuino aliquo Numine; quod uim illam seminis moueat, et temperet, non proficiscatur. Nulla nanque qualitas, quæ rationis sit expers, potest esse causa, tam eximiæ pulchritudinis, distinctionis, ordinis, numeri, situs, figuræ. Semen quoque cùm in substantiã agat, quæ uniusmodi est, non potest nisi unũ efficere opus. Quomodo enim hanc materię partem ad formandum cor eliget: illam uerò ad cerebrum configendum destinabit? Itaque oportet opificem illum non ignorare, quid sit uita, ut cor ædificet. Sicque cùm alias molitur partes, optimè perspectum habere debet earum partium finem, et usum. Quæ cùm à semine peruenire non possint, non erit uis illa principium primum tantæ fabricæ: sed instrumentum diuinioris causæ; quæ nihil temerè, nihil frustra faciat. Hic autem Deus est. qui cùm sapientissimus sit, mouetur uero fine, atque ab eo nunquam recedit.

Corporum opificia opera sũt Diuinæ Prouidentiæ.

De Natura formarum. Cap. IIII.

SEQVITVR vberis illa diſputatio de formarum natura. Multa enim quæruntur de illius eſſentia. vtrum ſubſtantia ſit, atque à materia diſtincta; et an ipſa tota ſit eſſentia rerum: et denique quomodo maneant plures formæ in eodem concreto. Quæ omnia breuiùs perſtringam, cùm à Peripateticis de iis, et acutè, et ſubtiliter ſit diſputatum. Priſci Philoſophi, cùm in tam frequenti rerum ortu et interitu formarum cernerent inconſtantiam; quòd illæ modò gignerentur, modò occiderent; materiam uerò nuſquam perire animaduerterent: in eam opinionem ſunt adducti, ut dicerent materiam ſolam eſſe ſubſtantiam: formas uerò qualitates quaſdam, et affectiones materiæ: quæ exorirentur, et interirent. Eas uerò ſic mutari aiunt, ob quandam materiæ fluctuationem. quæ cùm tota flexibilis, commutabiliſq; ſit, in cauſa eſt, ut formæ modò oriantur, et appareant, modò occultentur, et occidant. Quæ ſententia pleriſque omnibus, in primiſque Peripateticis ipſis, ingens negotium faceſcit. Etenim rationes, quæ afferuntur ab illis, ut hunc demoliantur errorem, et leues ſunt, et nequicquam demonſtrant. Nam, quæ de Elementis dicunt; ea, et corpora eſſe, et moueri, ne Antiqui quidem negarunt. A materia enim eſt corpus. Motiones uerò qualitatibus, non ſubſtantijs fiunt. Vitæ quoque expertia corpora cùm qualitatibus affecta ſint, eas, quas cernimus produnt operationes. Animantium autem uita à qui-

Priſcorum opinio de natura Formarum.

buſdam temperationibus proficiſci uidetur. Quæ mo derationes, et affectiones cùm innumeræ ſint, et inter ſe multum diſſentiant: ab iis, omnis rerum differentia exoritur. Illæ urgere uidentur anguſtiùs. Fieri enim non poſſe uidetur, ut admirabilis hęc Vniuerſitatis fabrica ex duabus partibus; quarũ altera, et ea quidem præſtantior, qualitas ſit, quæ obſcuriſſimè cõſtat, coaleſcat. Deinde nihil agere affectiones queũt, niſi alicui eſſentiæ innitantur, quæ illas ſuſtineat. Materia certè hoc illis non præſtabit. quę cùm ſe ipſa nullo modo ſubſideat, (vix enim eſt) qualitatibus, et affectionibus, niſi ab alia adiuuetur ſubſtantia, ſubſterni nõ poteſt. Quo fundamento ſublato, et ea, quæ materiæ innituntur ruere neceſſe eſt. Anima uerò hominis cùm immortalis ſit, ſe ipſa, vel à materia ſeiuncta, ſuſtinetur. Erit itaq; forma ſubſtantia. Neque ſolùm ſubſtantiæ pars, quod inficiebantur Antiqui: ſed, ut mea fert opinio, tota atque integra τὸ τί ἦν εἶναι. rei. Materia nanque nihil aliud rei adiũgere uidetur, niſi quòd formas geſtat, fundamentumq; quoddam eſt, cui innituntur illę. Quare ſcitè Plato illam locum formarum appellat. quoniam plena formis eſt. Formæ autẽ in omnem materiam effuſæ totum complent Vniuerſum.

Diſputatio contra Antiquos.

Forma è tota rei eſſentia.

Reſtat, ut illud inſpiciamus, cùm in una re plures cernantur munerum functiones, quæ diuerſas nobis indicant formas: quomodo cùm una alterius ſubiectũ eſſe nõ poſſit, manebunt plures in eodem compoſito? Neque enim inter ſe erunt diuulſæ. Nam cùm forma ſit quies generationis, ſi multę erunt in uno concreto; eæq; à ſeipſis ſeiunctæ; anteceſſiſſe etiam oportet multas generationes, unius rei diuerſas: quarum prior,

Qũo plures formæ ſint in uno concreto.

cùm extremam perfectionem rei tribuat,arceret posteriores: uel eas, ut qualitates quasdam rei iam perfectæ, et absolutæ, aduenientes exciperet. Neque etiam illis assentior, qui unam tantùm formam in omni re concreta reperiri dicunt. Quæ uim contineant ea efficiendi, quæ præstant inferiores. Eaq; de causa nobis in composito plures inesse formas uideri: quoniam plures, atque diuersas cernamus munerũ functiones.

Nanque cùm gignũtur animalia, plantæ, uitam primùm uiuunt. Quæro igitur de illis, quomodo hæc prima uita ad sensuum euadat perfectionem? crescit si una est, necessariò. Et cùm uegetandi uis illa augescat, atque in sentientem mutetur; mutabitur quoque, et augebitur substantia. Ab ea nanque mortalium uires accipiunt incrementum. quod falsum est, et absurdũ.

Neque etiam illud uerũ est, perfectioribus formis generatis; imperfectiores deleri. Nam forma formam non destruit. Rectè illi mihi sentire uidẽtur, qui plures formas miro ordine inter se cõnexas in una re esse dicunt. Quarum, quæ imperfectiores sunt, perfectiores anteuertunt; materiamq; præparant: et quasi sternunt uiam, ut præstantiores suscipere ualeat. Vbi uerò extrema aduenerit forma, et cessat generatio, et absolutum undique cernitur opus. Quod, et optimè animaduersum ab Aristotele, formas numeris comparauit. Quorum natura ea est, ut si alicui vnitatem addas, noua gignatur species: atque in ea distincta maneat prior. Idemque, Plantæ animam, in sentiendi ui, ita concludi arbitratur; quemadmodum triangulus in quadrato. in quo etsi mutetur species, triangulus integer conseruatur.

De

De duabus externis causis fine, et efficiente. Cap. V.

CVM in rerum gignendarum ortu, quatuor in primis requirantur principia. Vnum, quæ materia sit, ex qua quæquæ efficiantur. Alterum, quæ uis sit, quæ quidque efficiat. Tertiũ, quod efficientem causam ad agendũ alliciat. Postremò forma, generationis terminus extremus. Primum, et extremum hoc loco prætermittenda uidētur, quod satis de illis diximus antea. Duo uideamus alia. Quorum, qui finis dicitur, cum efficientem uim anteuertat, et moueat ad agendum, meritò causarum causa nuncupatur. Quod cùm fugeret Antiquos, illum imperitè ex numero causarum sustulerunt. Admonendi autem hoc loco sumus, nos nũc de eo disputare fine, qui extremus est in generatione. de altero autem, quem res genitæ suis attingunt operationibus, non esse hanc institutam disputationem. De eo itaque primùm illud uideamus, quis nam ille sit, qui finis generationis dicitur, qua de re à multis dubitari uidetur. sunt enim qui sentiunt id, quod fit; nimirum compositum ex materia, et forma, terminum esse generationis. Eò enim spectat ipse effector. quò cùm peruenerit, omnis cessat generatio. sed cùm hæc dicunt, materiam ipsos gignere necesse est. concrescunt nanque res, tum ex materia, tum ex forma. si igitur concretum est finis genenerationis, generabitur et materia; quomodo itaque materia erit æterna? Finis causarum causa. Finis generationis.

Forma

Quō Finis generationis sit perfectio efficiētis causæ.

Forma igitur ſola generationem abſoluit, et perficit. Hanc cum præuideat efficiens cauſa, eam expetit, atque ut ex materia exprimat, ad agendum mouetur. Ea autem aſſecuta, perſpicuum eſt, ingentem oblectationem, et non contemnendam perfectionem ex ea percipere. Etenim cùm omnia ad agēdum ſint nata: primùm eam quærunt molitionem, quæ ad ſuas naturas accommodata uidetur. Mox inter agendum animalia ipſa delectationem quandam capiunt, quæ tanta eſt, ut illius cauſa efficiantur multa. eaque ſublata, maxima actionum pars è uita tollatur. Deinde in ipſis operibus relucent quædam ſimilitudines, et imagines progenitorum. quæ mirificè auctores recreant, atque reficiunt. In iiſdem quoque propagatio quædam cernitur: atque ſui ipſius conſeruatio, quæ iucūdiſſima eſſe ſolet. Quoniam cauſæ eſt, ut mortalia participent æternitate. Ex iis extiterunt illa, Opifices ſua commendare opera. Et parentes etiam uehementiſſimè filios amare, atque diligere. Hæc breuiùs ediſſero, quòd ea ab Ariſtotele ſubtiliter, et accuratè

Vis efficiēs

ſint diſputata. Ad efficientē cauſam ueniamus, quam in natura reperiri neceſsè eſt, cùm innumerabiles cernantur effectus: et bona plurima inſint in Mundo, quæ cauſas efficientes, ut eas ad agendum moueant, requirere uidentur. Nihil enim uel malum expetit: uel bonum ſi illud norit, contemnit. ſed ita omnia rapiuntur in bonū, ut eo ſublato nulla ſequatur actio. illoque rurſus poſito, neceſſariò res ad agendum excitentur. Materiæ quoque diminutio; atque generatio rerum, eiuſdem cauſæ neceſſitatem declarant. Nāque tam diuerſæ naturæ in lucē nulla ratione prodiiſſent:

nisi

nisi illas uis aliqua efficiens generasset. Duo autem sunt efficientium causarum genera. Alterum, quod eandem habet cum effectis naturæ communitatem. Dissimile alterum, atque disparem à suis operibus conditionem sortitum. Hoc reiecerunt nonnulli, quòd fieri non posse censerent, ut simile à dissimili produceretur. Hos uerò quoniam, et disparitatem inter causas, et effectus frequenter cernimus, illis assentimur, qui utrunque efficientium causarum genus retinendum ducunt. Denique illud quoque certum est, non omnem efficiétem causam simul esse cum suo effectu oportere, sed quasdam tunc hærere tantùm, et instare cùm opus efficiant. Multæ nanque rerum formæ efficientem uim solùm requirunt, ut ex materia exprimantur. Vbi autem expresse fuerint, nulla agentis ope indigent, ut conseruentur, sed ipsæ uigent, et à materia sustinentur quousque senescant, uel alio modo depulsæ occidant, et deleantur. Aliæ uerò causarum præsentia, et actione egent, non solùm ut fiant; sed ut conseruentur: ut lumen quod è Solis appulsu exoritur, et eo abscedente euanescit. Duo genera efficientium causarum.

Sola prima causa ita per omnia tranat, atque res ipsas sustentat, ut si eius præsentia è rebus tollatur, ruere omnia necesse sit.

De Motu, et quiete. Cap. VI.

SEQVITVR obſcura illa de motu diſputatio. quæ uix cōprehendi poſſe uidetur: propter perfecti, et imperfecti naturam, quam in ſe continet motus. De quo pauca dicemus: non quòd non latus locus ſit; ſed ab Ariſtotele, et præclarè iacta ſunt fundamenta, et ſubtiliter explicata tota res eſt. Primùmque illud ab ipſo rectè eſt proditum, Motum eſſe perfectionem eius, quod moueri poteſt. Etenim ea, quæ natura mouentur, motionibus ſuas aſſequuntur perfectiones, et quietes. Quies uerò finis eſt omnium (cœlum excipio) motionum, atque earum extrema perfectio. Neque etiam quies eſt motus priuatio, ut malè ſenſerunt quidam, ſed finis, et bonum; cùm ut quieſcant, moueantur omnia. Iccirco quietis ſenſum capimus, tenebrarum uerò nihil ſentimus: ſed ſolo intellectu lucis abſentiam comprehendimus. Itaque motus eſt perfectio quædam media, quæ augetur donec ad quietem peruentum fuerit. Quies uerò ultima perfectio motionis, eademque præſtantior omni motu. Non fit autem motus, niſi duo adſint principia, unū quod moueat, alterum quod moueatur. Nihil enim ſe ipſum agere poteſt. Platoni uerò, qui in Phædro animum ſe ipſum mouere dixit, non ſolùm nō repugnamus, ſed uel libenter aſſentimur. Nanque cùm ait, et ſe ipſis animis et cōtinenter moueri; ſi de uera loquitur motione, in anima uoluntas motrix eſt, id autem quod mouetur eſt animæ ſubſtantia, quæ etſi re non

dissentiat à uoluntate: est tamen inter eas diuersitas notionum, et definitionum, quæ ad peragendum motum satis esse uidetur. Sed longè diuersa est sententia Platonis. locumque illum, uerissimè exposuit doctissimus, nobilissimusque Iuuenis STEPHANVS THEVPOLVS, in libris Academicarum Contemplationum, in quibus omnem Platonis philosophiã, quæ ad Dei, Naturæque considerationem pertinet, subtiliter et ornatè tractauit, et illustrauit. Quando uerò gignitur motus, intelligi non potest, quin in mouente sit, non sit in eo quod mouetur. Est enim motus actio, quæ à mouente profecta imprimitur in eo, quod mouetur. quæ actio, nisi continuetur, deletur et euanescit. Motio autem maiori perfectioni cedit ei, quod mouetur, quàm mouenti.

De loco. *Cap. VII.*

LOCVM affectum quendam esse rerum omnium comitem, qui multas subeat diuersitates, pro uariis rerum naturis ostendimus antea, cũ de Angelis loqueremur. Nunc restat, ut locum consideremus, quo continentur corpora: quique ad eorum naturas accommodatus esse uidetur. Cuius affectionis ea est imperfectio, et obscuritas, ut nimia exiguitate facillimè aciem fugiat intelligentiæ. Inde locum modò concedi oportere uidetur, in quo subsideant corpora, atq; in Mundo contineantur; modò nomen quoddam inane apparet, cui res nulla sit subiecta. Zeno enim ita Zenonis sẽtẽtia de loco.

agebat, ut loci omnem euerteret naturam; nihilq́ue omnino locum esse constanter affirmaret. Si enim locus aliquid est ex ijs, quæ sunt: oportet, vt sit alicubi: erit igitur locus in loco. Eaque ratione infinitè progrédiebatur. Premũt alii angustiùs. Locus cùm corpora contineat, quæ longa sunt, lata, atque profunda, oportet ut iisdem constet interuallis. Illa uerò ab aliis complecti necesse est. Sunt enim corpora. Rursus illa maioribus continebuntur spatiis. atque ita in Epicuri infinitionem incurrimus. Nobis uerò, cùm apertè cernamus mutuam corporis cessionem, atque locorum perennem quandam uicissitudinem, perspicuum est, et locum esse; et corpora omnia, quæ mundi determinatione complectuntur, locis contineri. Sed hæc pars cùm acutè ab Aristotele tractata sit, prætermittatur.

Ad illã accedamus, quæ nos doceat, quid sit locus. Multi locum, corpus quoddam indicarunt: quoniam corpora contineret. Duo autem corporũ genera distinguunt. Alterum, quod materia, et forma concrescit; cui adiuncta est etiam magnitudo. Alterum sine ulla materia uel forma, quod tantùm triplici dimensione constet. Quod interuallum, et spacium appellant, in eoq; dicunt locari corpora. Hoc autem interuallũ in duo partiuntur. Vnum commune esse aiunt, idq; cæli extrema ora definiri. Alterum proprium, singulis corporibus congruens: quod ipsa coerceat, iisdẽq; par sit.

Quid sit locus.

Alii subtiliùs naturam huius interualli indagarunt. Aiunt locum esse inane spatium. quòd si non esset inane in natura, aut nihil moueretur omnino, aut subiret corpus in corpus. Verùm isti, non quemadmodum Antiqui uacuum intelligunt, quod nullum con-

tineat

tineat corpus; sed in quo corpus sit, idemq; esse omnino locum, et uacuum dicunt, soloq; nomine differre. Quare cedente corpore, corpori subeunti fit uacuum, vt impleatur. Itaque inane faciunt principiũ motus: vt priuatio est principium generationis. illudq; definiunt priuationem esse corporis subituri. Hæc ab illis acutè disputata, subtiliter etiam et nos consideremus. Si locus uacuum est, si uacuum est priuatio corporis subituri, erit igitur nihil. Nihil autem nihil continere potest. At locus corpora continet. Deinde si locus est inane, inane inquam in quo est corpus: contrariæ res concurrunt. nihil enim inane uidetur, in quo aliquod insit corpus. non igitur locus, neque spatium, neque uacuum. Sed Peripateticos audiamus, qui cùm animaduerterent, sua quæquę expetere loca; agnoscerentque nullam appetitionem esse, quæ bonum non spectaret: loco uim quandam attribuerunt, qua et corpora continerentur, et conseruarẽtur: quare profunditatem ademerunt loco: quòd intelligerent eam, aut ad conseruandum, aut ad continendum, nihil omnino conferre. Reliquas duas dimensiones reliquerunt. Inde locũ definierunt exterioris corporis ambientẽ superficiem: qua et contineantur, et conseruentur corpora. Cui sententiæ mira mundi partium connexio plurimùm attestatur. quæ inter se tam aptæ colligatæ, consertæq; sunt, ut una ab alia complectatur, et conseruetur. Etenim terra undiq; aquis circumfusa cernitur. Aquæ adhæret aer. Aeri ignis. quoniã congruentibus inter se qualitatibus ad cohærendum sunt apta. Igni uerò imminet cælũ. Cuius extrema ora, cùm et mũdi determinatio sit; nullaq; egeat

conſeruatione, loco non continetur. Extra Mundum non eſt locus. Quoniam nec eſt corpus, ſine quo ille conſtare non poteſt. Non eſt etiam inane, quod nihil magis abhorreat natura.

De rerum ætate, et tempore. Cap. VIII.

INTER rerum uarios affectus peculiaris eſt is, quem appellant Philoſophi durationem. Quæ nihil aliud eſt, quàm continuatio rei in natura. Eam diuidunt noſtri in quatuor genera. Primùm æternitatem explicāt, quam diuinæ attribuunt naturæ. Mox Æuum, quod aſcribunt Angelis. Tum ætatem, quæ rebus mortalibus congruit. Poſtremò tempus, quod rerum mortalium metiatur ætatem. De Aeternitate autem, et Aeuo aliis locis, ut opinor, à nobis dictum eſt ſatis. Reſtant duo alia, tempus nimirum, et ætas rerum.

Quid ſit Aetas et quomodo differat à reb'.

Aetatem autem tempus quoddam diuulſum, et diſcretum, quod formas uigentes in materia metiretur, rectè definierunt quidam. Verùm illud nos conſideremus, ſit ne res alia ætas ab ipſis formis mortalibus; an cum illis congruat omnino. Quam quæſtionem, quod mihi perſpicua uideatur, exponam breuiter. Etenim ſi rerum formæ, et eſſentiæ nihil aliud ſuis notionibus nobis ſignificant, niſi rem eſſe extra nihilum; illamque non ponunt in natura. ætas non erit rei eſſentia. Nanque nihil poteſt ætatem agere,

niſi

nisi prius in natura subsideat. Multa quoque eandem naturæ communitatem cùm essent sortita, diuersas habuere ætates. Et contra, pleraque uidemus eundem peragere ætatis cursum, quamuis discrepantes habeant naturas. Non est itaque ætas essentia rei, sed cùm res existit, statim cum ipso ortu incipit rerũ ætas. quæ eo usque continuatur, quoad senescant res, et deleantur. Hæc itaque rei in natura continuatio, ætas rerum mortalium nobis uidetur, quæ licèt re ipsa cum re quam metitur omnino consentiat: dissentientem tamen habet notionem. Nunc tempus ipsum quid sit uideamus. Plato in Timeo ait, Tempus esse imitationem quandam Aeternitatis. Quæ imago ante cœlum non esset: sed eam cum nascente Mundo oriri iusserit Deus. Dies uerò, noctes, menses, et annos temporis partes, quæ Mundi conuersione conficiantur affirmat. Hæc quamuis uerè à Platone proferantur: quid tamen sit ipsum tempus simulare potius, quàm exprimere uidentur. Peripatetici naturam temporis propius attingere: illud enim ita definiunt; ut numerum quendam motus esse dicant. Quæ definitio nobis intimiùs internoscenda est. Principiò si naturam respicimus, tempus non metitur primum motum. cùm enim tempus sit illius affectus, motus tempore prior est. nihil autem propriè aliud metiri potest, nisi ipsum natura, ut dicunt, anteuertat. Tempus igitur erit numerus motus, et uicissim motus temporis alia quadam ratione. Motio est temporis mensura, quoniam motus tempus gignit; illudque metitur. neque enim tempus excedere potest motum. Vicissim quoque tempus metitur motum.

Platonis sẽtentia de tempore.

Peripateticorum de tẽpore opinio.

quoniam

quoniam est magnitudo par ipsi motui, et illius quędam ueluti regula, quę cùm motu notior sit nobis motionum quantitatem indicat, et prodit. Temporis autem ea natura est, ut fluat continenter: omnesque illius, quæ antecedunt partes continuò deperdantur: successione itaque quadam fit continuò, et occidit tẽpus. Est, nihil aliud, nisi instans, quod continenter fluit. Illi subiectæ sunt rerum mortalium ætates, quoniam terminis quibusdam temporis, earum cursus concluduntur. Itaque ætas, et res ipsas in natura metitur, et rursus ætatem circumscribit tempus. Oriuntur enim tempore res, et rursus eodem senescunt, labefactantur, intereunt. Inde Poetæ cum rerum inuentionem, et instaurationem, tum earundem destructionem, et consumptionem tempori attribuerunt.

Temporis generatio.

Tempus quid est.

Quæ subiiciantur tẽpore.

Omnia tempus alit. Et illud.

Longa dies Homini docuit parere leones,

et rursus.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uitiataque dentibus æui.
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Quæ sententia ut propiùs ad uulgus accedit, ita est remotior à ueritate. Tempus nanque cùm quantitas sit, et magnitudo, nihil efficere, nihil destruere, aut consumere, nihil omnino moliri potest. Sed cœlum illiusq; motiones uariæ, uarias gignũt impressiones. quibus, et mortales oriantur formæ, et intereant. nostrumque corpus ita ad prauam euehit temperationem, ut ineptum reddatur ad animæ coniunctionem.

NICOLAI CONTARENI IOANNIS GABRIELIS FILII PATRITII VENETI.

De Cœlo, et Elementis. Liber Quintus.

AD VIRVM AMPLISSIMVM Leonardum Donatum.

De Materia Cœli. Cap. I.

CONTEMPLANTI mihi altiſſimam illam, corporeamq; naturam; quam Deorũ Immortalium ſedem nuncupauit Antiquitas, abſtruſa illa diſputatio de illius conſtitutione uenire in mentem ſolet. Nam et de materia, Cœlique concretione, et de uitæ genere, de motu etiam, atque de lumine ambigunt plerique omnes præſtantes philoſophi. In primis autem cùm illud facile omnes concedant, materia quadam conſtare Cœlum: quæ, et lumen gerat, et qualitatibus atque motionibus, quæ ſine illa effici nequeunt, ſubiiciatur: de altero, ex corporibus ne coaluerit Cœlum, an ſimplex ſit, acerrime contendunt. Principiò Hebræi, cum Cœli naturam: tum nomen ex aqua,

Hebræorũ opinio de compoſitio ne Cęli.

aqua, et igne componunt. Etenim Cœlum אֶשָׁמַיִם appellant. quod ex אֵשׁ, et מַיִם idest ex aqua, et igne componatur. Qua de re, etiam grauis inter Academicos, ex ipsius magistri uerbis, orta uidetur dissensio. Quidam enim cùm animaduerterent Platonem ignem, et terram extremas Mundi partes frequenter appellare: ignem Cœlum esse sunt arbitrati. Quod, et quartũ corpus in Vniuerso constituerunt. Ex eoque igne innumerabiles flammas siderum concretas dicunt. quarum aliæ uagæ, fixæ aliæ dicuntur. Idemq; sensisse Platonem conantur ostendere. Nam si Plato Cœlum, quartum corpus, idemque simplex non iudicauit, cur ignem alterum Vniuersi extremum esse dicit? Cur Cœlum ipsum omnia coercens, atque complectens inter corpora non annumerat? Cur etiam cùm Cœlum magis sit aspectabile, quàm ignis is, qui lunæ subiectus est; iccirco inquit, Mundum aspectabilem esse, quòd in eo ignis contineatur: cuius munere luceant omnia, quæcunque lucent. Philoponus in libro de Mundi æternitate, Cœlum ait ex igne, aere, aqua, terra conflatum esse. Ignem uerò in Cœli cõpositione, reliqua tria, multis partibus superasse. Hæc uerò non quemadmodum hic cernuntur impura, et luculenta: sed puriora, et sinceriora reperiri.

Dissensio I Academia de cœli cõpositione.

Plato quoque in Timeo, et in Epinomide quinque corpora simplicia, ex quibus Vniuersum constet, uidetur agnoscere. Terram, aquam, aerem, æthera, ignem, quem cælestem nonnunquàm appellat. Hic, non quemadmodum noster ignis disturbat omnia, destruit, consumit quocunque peruadit: sed calorem quendam uitalem, et salutarem mortalibus infundit.

Sententia Platonis de Cœli compositione.

quo

quo gignuntur omnia, quæ fiunt. In Timęo enim ſignificat præſtantem illam Cæli qualitatem, quam lucē appellamus, à flamma eſſe diuerſam: quia non urit; ſed illuminando diem in mundum inuehit. Ex hoc cæleſti igne cæleſtia animalia exiſtere putat. Diuinum aſtrorum genus: corpore pulcherrimo, animaq́ue beatiſſima, et optima conſtitutum. Reclamant alii, et rectè eam coagmentationem reiiciunt. Deus nāque. Diſputatio contra Platonem.

Hæc ſuperis impoſuit liquidum, & grauitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.

Terram enim, et aquam in Cælum attollere non eſt opus naturæ. At ſi in Cælo terra non eſt, quomodo poterit eſſe compactum? Hic nanque ob terræ ſoliditatem, conſtare corpora uidemus. ibi terra nulla. Hic per aquam, terræ partes aptæ ſunt ad conueniendum. Ibi nihil humoris, nihil aquæ. Cælum quoque cùm mobiliſſimum ſit, celerrimeq́ue moueatur, omnem reſpuit grauitatem. Motus quoque illius orbiculatus, et ſimplex, et compoſitionem refugit, et leuitatem non admittit. Lumen quoque illud, quo omnem mundum illuſtrat, terræ non congruit.

Non eſt itaque exquirenda in Cælo ulla ex Elementis coagmentatio: non elementorum natura; non proprietas: ſed analogia potius quædam, et ſimilitudo agnoſcenda. Sunt alii, qui Cælum componunt ex materia, et forma. Materiamq́ue illam, eandem habere communitatem naturæ, cum hac inferiori, ex qua mortalia gignuntur. Formam autem hanc cæleſtem materiam informare. Quæ nam uerò hæc ſit forma cæli, diſſentiunt omnino. Sunt qui eam mate- Cœlum quibuſdā componitur ex materia, & forma.

teriam ne fluctuet cohibere tantùm dicãt. Vitam præbere alii. Reliqui sensum, et cognitionem Cœlo tribuere affirmant. Sed de Vita dicemus posteà. Nunc ad materiam Cæli redeamus. Quæ si non est diuersa ab hac inferiori, in innumerabiles Mundos incurrimus. Materia enim ut diximus anteà, naturã quandã habet, et potestatẽ, qua omnes formas, quæ in ea esse possunt, subire ualet. Aut igitur hæc potestas, et propõsio ad formas erit inanis: Aut si ad quẽ finem ei data est; oportet in natura reperiri uim aliquam; quę ex illa materiæ potestate Cæli formam exprimat. Forma autem cùm in infinita indiuidua propagari possit, in magnum excrescet numerum. Multi itaq; gignẽtur cæli, atq; ii eiusdẽ naturæ. Vicissim quoq; materia ipsa, quã Cęlum constat, cũ suaptè natura apta sit plures formas suscipere; sub una in perpetuum cõtineri non põt. Frustra enim erit, atque nequicquam à natura ea potentia materiæ erit impressa. Nam et si rerum corruptiones oriantur ex mutua pugna contrariarum qualitatum, quæ in Cœlo nulla est: tamen materia ipsa cùm tota flexibilis, commutabilisque sit: ob sui intimam uolubilitatem, ubicunque fuerit, eam pugnam requirit, ne quiescat sub una tantũ forma. Sunt alii, qui materiam quandam excelsiorem introducunt, in qua forma præstantissima insit: ex qua componatur Cœlum, Eandem dicunt diuersam esse ab ea, ex qua mortalia coalescũt. Vilesceret enim, ut illis uidetur, forma Cæli in hac caducorũ materia. Generarẽtur cælestia corpora, fierent, interirent. Verùm hæ omnes Cæli coagmẽtationes nulla certa, constantiq; ratione innituntur. Etenim formã reperiri in materia, nullo alio modo cõ

Altera Cœli compositio ex materia, et forma.

Confutantur omnes compositiones Cęli.

pertum

pertum nobis esse potest; nisi ea, quæ antecessit mutatio, ac præparatio, illam nobis prodiderit. A qua Cælum remotum, maximèque alienum est. Immortale nanq; cernitur, omnisq; expers repugnantiæ. Non senescit, non corrũpitur. sed idem semper est. Cũ igitur nulla sit in Cælo mutatio, quæ substantiam illius, atq; naturam euertat. nulla erit forma. Nam si est, quomodo sine mutatione est impressa? Si uerò à Deo simul compacta, cur eam non expellit materia, ut excipiat alias? Neque enim satiari potest una forma, cùm æquè apta sit ad omnes suscipiendas. Materiam autem illa noua, eademque diuersa à mortalium subiecto; non solùm uniuersi ordini consentanea non est: sed naturæ ualde repugnans. Quatuor enim cùm sint causarum genera, materia, forma, efficiens, finis: naturæ ordo requirit, ut ad unum, quod in eo genere primum sit, reliqua omnia adducantur. Vt una sit prima efficiens causa, una forma, unus finis. Cur igitur duæ materiæ? Si uerò sunt duæ, quæ nam comparatio, et proportio inter eas consistere potest? Quomodo uerò distinguentur? Si quas enim continent proprietates, quibus internoscantur, illæ sunt aduentitiæ, et quæ non mutant materiæ naturam. Non est itaque in Cęlo materia aliqua subiecta formæ: cũ illud nulla mutatio, nulla mortalitas sit consecuta. Et licèt à Deo deleri Cœlum possit, hoc est ascribendum infinitæ eius potestati, non Cæli naturæ. quæ nullum in se ipsa principium, quo corrumpatur, habet. Hoc etiam modo res omnes, quæ necessitatẽ non habent, destrui possunt omnino. Nulla quoq; forma est, ex qua cõcrescat Cælum. Quæ si ulla esset, uim quoque mo-

uendi obtineret. Hæc autem uis non est ita Cœlo cõiuncta, ut sit illius pars altera, sed illi tantum præest, illudque continenter uersat. Ex his efficitur Cœlum corpus esse quoddam eminentissimum, et simplex: cum, et magnitudine præditum sit, et figura. Splendeat quoque, et moueatur. Corpus, inquam, non materia aliqua conflatum, quæ sit formæ subiecta: sed diuinius omni materia, atque præstantius. Cœlum itaque media quædam est natura inter formam, atq; materiam. Non est materia, non est actus, sed materia (ut dicunt) in actu; idest materia se ipsa cõstans, nulli rei permixta, et quæ nihil admittat, quod sui dispar sit, aut dissimile. Lucida, solida, sed quam tamen permeare, peruadereque possent corpora, si illã subirent. Soliditas autem nullam præstat Cœlo immortalitatem. sed neque tenuitas demit. Quamuis enim ea, quæ diuidũtur, facilius corruptioni sint obnoxia, quia à toto diuelluntur partes: tamen, nec diuisio corruptionis, nec integritas perpetuitatis causa esse potest. Sed si minutius concidantur, celerius, et facilius à contrariis destruuntur. Si uerò partes coniunctæ maneãt, maiorem retinent uim, qua contraria repellant, et diutius conseruentur. Cœlo autem cum nihil sit repugnans, et aduersum, eius partes uel tenuissimæ, nunquam intereunt. Mobilissima quoque est Cœli substantia, cum et continenter moueatur, et semper moueri possit: Reliquas uerò omnes perfectiones, ad quas apta est, iam in se ipsa continet. Figuram, lucé, innumerabilesque alias uires, quarum effectus Mortales experiuntur, licet eos lateant causæ. Ex hac conflati sunt cœlestes orbes, qui et genere differrent, et diuer-

Cœli Natura.

Cœli Naturæ affectiones.

Cœlestia corpora unde existant et quomodo inter se differant.

et diuersas, uariasque naturæ uires assequerentur. siderum uerò flammæ, et lumina, quibus totum cœlũ ornatum cernimus, ex eadem materia existunt. Sunt nanque partes concretiores plenioresque, et magis densæ suorum orbium. Orbes uerò sunt sidera rariora. Ingens autem illa multitudo stellarum, quæ fixæ dicuntur, eandem inter se sortitæ sunt naturæ commu nitatem. Existunt enim omnes ex uno orbe, et ex una natura. Quare easdem uires consecutæ sunt. Dissentiunt solum, quòd aliæ maiores sunt, minores aliæ: Nitor earum uarius, atq; diuersus, Color uerò nullus; sed splendor est, qui nostris oculis color uidetur.

Fixarũ stellarum eadẽ natura.

De vita Cœli. Cap. II.

SEQVITVR ut Cœli Vitam, quænam sit, consideremus. Cœlestia nanque corpora uitam aliquam uiuere, cum moueantur, negari non potest. Cumque ea sit tot, tantarumque motionum æquabilitas, atque in omni æuo constantia, non possunt hæc prouenire sine mente, ratione, et consilio. Academici nõ solum Cælum, sed æthera etiam, aerem, aquam, terram animantem faciunt. Cumque hæ duodecim sint sphæræ, et natura, et motionibus, et proprietatibus uiribusque differentes: duodecim inquiunt illis adesse animas uirtute diuersas. Etenim cum uideamus tot animantium genera in hac rerum vniuersitate uigere, cur terra, aqua, aer, ignis, et reliquæ excellentiores Mundi partes non erunt animatæ?. Plato uerò astra ipsa animis, et ra-

Corpora cœlestia uiuũt

Academicorum opinio.

et ratione prædita esse dixit. Eaque, et diuina appellat animalia, et erroris expertia. Deus nanque cum tot luminibus, siderumque flammis Cœlum ornasset, non est passus tam præclara corpora, sine uita in Mundo esse, sed singulos animos adiunxit ad singula, quibus et leges fatales exposuit. Quare hãc rerũ Vniuersitatẽ ait esse animorum plenã, atq; omnia, quæ in Cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, animæ motionibus duci, et agitari. Stellasque diuinas facit, quas uenerari nos oporteat, nostraque uota eisdem piè, casteque exhibenda docet. Easdem nonnulli, et uisu, et auditu acerrimo, et ui quadam cogitandi, quam phantasiam græci appellant, pollere affirmant. Constant enim cęlesti natura, quæ nobilissima est, et ęquabili calore suffusa, eaque de causa ad gignenda animalia aptissima. Quorum sententiæ plurimum à ueritate desciscunt. Nam ut à sensu exordiar, illos natura animalibus tribuit; ut iis instructi, et uitam uiuerent mortalibus congruentem; et quæ sibi, suæque naturæ consentanea præuiderent; ea, et appeterent, et prosequerentur. Hominibus autem necessarii sunt sensus; cum ut corpori mens connectatur: tum ut iis, quæ ad naturam accommodata sunt appetendo: tum ea declinando, quæ uitæ aduersantur, atque repugnant, se ipsos conseruent, et tueantur. Tum denique ut mens ipsa rerũ scientiam, et cognitionem assequatur. Cuius penitus est expers. Etenim sensus sunt ueluti interpretes quidã, ac nũtii rerũ. qui animo significãt, quæcũq; percipiunt. ex quibus significationibus, oẽm sciẽtiã exhaurimus, atq; accipimus.

Disputatio contra Academicos et Auicẽnam.

At Cęlo sensus non sunt necessarii ad sustinendam, tuen-

tuendamque uitam. Nullum nanque illis imminet periculum, quod sensibus prævidere, atque declinare oporteat. Neque etiam cognitionem iuuant. Nāque si mentes illæ, quibus prædita sunt sidera, et perfectiores sunt, et præstantiores humanis animis, ad intelligendum sensibus non indigebunt. Corpus etiam cū immortale sit, atque diuinum, nullum obicem, aut impedimentum afferet, quominus intelligant. Sensuum quoque natura hoc ipsum declarat. Nam si cælestia corpora sensibus prædita sunt, quomodo hæc, quæ in terris apud nos fiunt, uidebunt? aut quos sonos exaudient? Cùm enim immenso ferè interuallo absint à terris, fieri non potest, ut ex tam longinquis regionibus rerum imagines, sine quibus nihil sentimus, ad ea perferantur. Soni quoque, et uoces etsi uehementissimæ sint, adeò debilitantur in media intercapedine, ut citissimè euanescant. Neque etiam eorum oculi admirabili illo cælesti theatro, neque aures cantibus, et harmonia tenentur. Lumen nanque nisi terminatum fuerit ab opaco, oculos fugit. Soni quoque, et concentus in Cælo nulli sunt. cùm ibi non sit aer; sine quo nec sonos edere, nec uoces possumus exaudire. Natura etiam cùm nihil temerè, nihil inconsultè; sed omnia sapienter efficiat, nulli animaliū sensus dedit; quin iisdem instrumenta sentiendi sit impartita. Instrumenta autem in Cælo, quæ esse possunt? ea enim ex diuersis coalescunt naturis. Eiusdē uerò orbis partes, quamuis aliæ perlucidæ, aliæ opacæ, quædam densæ, quædam raræ uideantur; eandem habent naturæ communitatem. Deinde hæc instrumētà ex contrariis constantur qualitatibus, quibus cùm

careant cælestia corpora, non possunt esse sensibus prædita. Vis quoque illa, quæ phantasia dicitur, aliena est à Cæli natura. Cùm enim arctissimè sensibus iungatur nulla ratione ab iis seiungi potest. Est nanque motio quædam ipsius sensus, quæ sine motore uix conseruatur. Restat, ut si qua anima uiget in Cælo, ea intelligens sit, quæ et illud moueat, et Cæli motiones temperet, et moderetur. Hæc autem neque in astris, neque in orbibus inerit. Nulla enim est ratio, quæ nos doceat animas, et orbes, et astra informare. Velle nanque, et intelligere sunt functiones munerum, quæ sine instrumentis melius absoluũtur. Ad mouendum etiam potestatis motricis cum corpore continuatio, uidetur satis. Itaque cum Cælum omnes in se ipso perfectiones iã concluderet, quæ habere poterat, nulla egebat forma, ut fieret perfectius. Cælo autem data est motio, datæq́ue motrices mentes, non ob sui ipsius perfectionem, sed propter Vniuersi indigentiam. Nam cùm Vniuersi perfectio in ordine posita sit: ordo autem in quadam partium comparatione, et proportione consistat, decuit diuinam Mentem, quæ Mundi, totiusq́ue ordinis causa fuit, supera, et infera ea proportione connectere, quæ illis cõgruebat. Corpora autem cum incorporeis mentibus, tanquam cum suis motoribus comparationem habere possunt. Ea igitur illis tribuenda fuit. Verùm non omnia corpora cum incorporeis mentibus coniungenda erant. Animata enim suarum motionum principium, nimirum animum; in se ipsis habent. Elementa autem cùm tota non moueantur, hoc motu non indigent. Quòd si etiam motus est aliquis, qui illa uniuersa cõuertat;

Quæ uita tribuenda Cęlo cur illi non sit à natura ingenerata.

uertat; hunc impartiri à Cælo uidemus. Reliquis uerò rebus inanimis sat fuit qualitas aliqua, quæ illis à natura imprimeretur. quandoquidem et imperfecta et diminuta sunt. Restabat Cælum inter corpora primum omnium, et absolutissimum; principiũq; gignendi omnia. Illi itaque hic motor adiungendus fuit, ut perenni conuersione perpetuam faceret seriẽ causarum. Etenim à motu Cæli, et mouentur cũcta, et gignuntur, aluntur, et sustinentur. eoque cessante, nihil agere, aut moliri quidquam posset. Pluraque alia motionis munere à Cælo ad mortales permanãt, de quibus mox dicemus. Ex extremis igitur Angelis quosdam Deus ad hoc munus delegauit. qui orbibus præsiderent. Illosque continenter uersarent. Eoque consilio id à Deo factum est, ne si Cælo ingenita esset uis motrix: peracto numero dierum, quibus diuina uoluntas constituit illud moueri, otio torpesceret, et inanis redderetur omnino.

De Motu Cæli. Cap. III.

SEQVITVR de motu Cæli non iniucunda quæstio. Quamuis enim cælestis natura communis sit, aptaque cum ad motum, tum ad quietem: mouentur tamen cælestia corpora, ita requirente vniuersi perfectione. Hic autem motus, non est naturalis. licèt semper uniusmodi, suique similis sit. sed uoluntarius. cùm à ui intelligente proficiscatur. ut ostendimus antea. Altera quoque physica ratio, uoluntarium hunc mo-

tum esse declarat. Etenim cùm ea,quæ mouentur iccirco moueantur,ut locum propriæ naturæ consentaneum,in quo quiescunt,nanciscantur:Oportet ut omnia,quæ naturali impetu, et motu aguntur, à propriis absint locis. Cælum autem, Cælique omnes partes, sua quæque obtinent loca. Non igitur mouentur à natura; ut aliquam perfectionem acquirant; sed à uoluntate; ut eam tribuant Vniuerso. At non me fugit quid Aduersarii soleant respondere. Aiunt motum Cælo à natura tributum esse; non ut acquirat, sed ut conseruet locum. et, ut Cæli partes, etsi non totum; proprias sedes assequantur. Quæ mihi nequicquam dici uidentur. quasi Cælum si quiescat, locum non conseruet; sed mutare illum oporteat. Partes quoque cùm in una mundi conuersione perueniant ad sua quæque loca: cùm sedes ad earum naturas accommodatas iam obtineant. cur non consistunt? cur non hærent? cur, cùm omnia suis in locis libenter quiescant, Cęli partes cùm ad sua peruenerint loca, ab iis rursus discedunt; atque una expetit alterius locum occupare? Cùm itaque non moueatur Cælum propter sui ipsius conseruationem: moueri illud propter mortalium rerum gubernationem existimandum est. Nulla autem administratio, et gubernatio à pura potest prouenire naturæ propensione, quæ careat mente. Non erit igitur motus Cæli à natura, sed à uoluntate, ratione, consilio. Porrò mentes illæ cælestium corporum motrices, diuini participes consilii, ut conditoris uoluntati obediētes sese præbeant; tanta æquabilitate orbes uersant, ut nihil inordinatum, nihil fortuitū, nihil inconstans cernatur.

Cur Cælū moueatur.

Neque

Neque illud incongrum est, quod quidã obiiciunt; si uoluntarius est Cæli motus, illud necessariò sequi; corpus aliquod in Mundo reperiri, quod naturaliter sit immobile. id, quod naturæ repugnare arbitrantur. Sed internoscenda enucleatiùs res est. Natura sapiẽtissima corporibus illis, quæ ad generationem comparata fuerant, motum dedit; ut conuenirent ad res gignendas, et componendas. Atque iccircò Elementis assignauit loca, è quibus ad concretiones euocarentur: et in quæ à compositione soluta reuerterent. Corpus autem, quod non pro materia coagmentationum constituit, sed ad agendum destinauit: eo tantũ indiguit motu, quo temperare suis actionibus mundũ posset: non quo ad concretiones rerum accerseretur. Quare mediam quandam naturam Cælum esse oportebat, quæ formam nõ exposceret; cuius munere sese ad perfectionem promoueret, cùm iam sit undique absoluta. Sed cum ad motum, tum ad quietem æquè apta esset: requirebat Mundi ordo rerumque mortalium gubernatio, ut ad motum declinaret atque deflecterer. Quare toti Cælo non motus, sed quies est attributa. Cælum igitur nullam expostulat intimam formam, qua perficiatur, et moueatur; imò respuit. Externam autem non refugit, quam cum efflagitaret mundi indigentia à Deo adhibita fuit. Sed ad motũ ipsum ueniamus, quem Aristoteles rotundum esse, multis confirmat rationibus. Tum, quia uidetur Cæli rotunditati congruere; quæ figura uolubilis est, atque ad motum aptissima. Tum quia, cùm Cælum sit expers omnium elementorum qualitatum; nec leue est, nec graue. quare nec ascendere, nec descendere potest.

Cur corpora moueantur.

Cur totum Cælum nõ moueatur.

Quæ motio num diuersitas sit in Cælo.

uertitur itaque in orbem Cælum. Verùm utrùm unus tantùm sit motus, quo ferantur orbes, an multi, iidemque diuersi, uix diiudicari potest. Nam cùm duo sint genera siderum; quorum alterum spatiis immutabilibus eundem situs ordinem, semper seruat; atque fixum appellatur: alterum autem uagum, et erraticum, non eundem semper teneat Cæli situm; utrũque ab ortu duntaxat in occasum decurrere, in legum libris existimare uisus est Plato. Etenim stellæ fixæ, ita ad occasum mouentur; ut nullum unquam sui itineris uestigium inflectentes, uigintiquatuor horarum spatio, conuersionem absoluant. Sol uerò, ac Luna, et quinque uagæ stellæ eundem cursum tenent: atque aliæ tardiùs, celeriùs aliæ eandem conuersionem conficiunt. Principiò Saturnus, qui plurimùm abest à terris secundum stellas fixas, citissimè omnium eò peruenit, unde anteà digressus est. Saturnum sequitur stella Iouis. Iouem uerò Mars. sed aliquanto tardiùs. Sol uerò, Venus, atque Mercurius eadem ferè celeritate suas peragunt motiones. Luna autem omnibus segnior, tardissimè omnium uersatur. Iam uerò ita omnes mouentur stellæ; ut cùm uno, ac semper æquabili motu in Occidentem uertantur; nobis tamẽ eædem in Orientem reuerti appareant. et quæ ueIociùs ad Occasum tendunt, tardiùs reuertere in Orientem uideantur; quæ uerò segniùs mouẽtur, celeriores existimemus. ita, ut Lunã omnium citissimè, tardissimè Saturni stellã signiferum orbem collustrare dicamus. Sed res contra se habet. Saturnique conuersio, quæ ab Astrologis triginta annis confici dicitur, ab Occasu non incipit, tenditque in ortum. Verùm

Platonis sententia de stellarũ motionibus.

cùm

cùm ab aliqua figniferi plaga fefe promoueat: ad eandemque una die redire non poffit: quotidiè deficit, eoque modo in dies defcifcendo, ad eundem locum, à quo ante triginta difcefferat annis recurrit. Hæc Plato.

Ægyptii autem, cùm ftellarum motus, fiderumque traiectiones in perfpicuo, et patenti Cælo obferuaffent: notarunt Planetas ab Occafu in Ortum moueri, inter quos Lunam celerrimè fignorum orbem peragentem; menftruam facere conuerfionem. Saturni uerò ftellã, quæ à nobis abeft plurimùm, tardiffimè curfus fuos abfoluere. Quæ autem inter eas interiectæ funt ftellæ; difparibus motionibus eundem orbem luftrare. Cuius etiam latitudinem omnem commeant, uno Sole excepto, qui eandem tenens uiã, fuum iter nunquam inflectit. Quæ fententia, et uerifimilior eft, et à Timeo, Peripateticis, atque Aftrologis confirmata. Verùm cùm duæ fint præcipuæ Cæli conuerfiones: altera qua fuprema fphæra in Occafum tendit, altera qua Planetæ feruntur in ortum. unam alteri repugnare, et aduerfari uidetur. Ariftoteles autem demonftrat rotundæ, orbiculatæque motioni, alium motum non effe contrarium. Sed cùm concurrant Planetæ, et ftellæ fixæ: in contrariasque ferantur partes, aduerfari motus inter fe uulgo uidetur. Verùm fi rotundo motui nullus alius motus eft contrarius: tanto minus orbiculati inter fe pugnabunt. Motionũ enim repugnantia oritur ex metis aduerfis. quæ non funt in Cælo, cùm illud fit rotundũ, atque globofum. Nanque fi Oriens aduerfaretur Occidenti; fidera has repugnantes metas neque appetere, neque petere poffent. Res enim fi in locis contrariis fubfidéant, deftruuntur,

Aegyptiorum fententia de Cæli motionib⁹.

Vtrũ Cæli motiones fint contrariæ,

ftruuntur,

ſtruuntur, et conſumuntur. Non eſt igitur in Cœlo pars ſumma, et pars ima, quæ ſibi aduerſentur. Non Oriens, et Occidens. ſed nos Orientis Cæli plagam appellamus, in qua primùm nobis ſeſe aperiunt ſtellæ. Partem uerò illam, in qua occultantur, occaſum nominamus. Quo poſito, nulla eſt motionum repugnantia in Cælo. In tanta autem Cœli uolubilitate, admirabilis quædam in ipſo cernitur quies. Nā cum motus ſit loci mutatio, mutant quidem loca Cœli partes, quare et moueri neceſſe eſt. Totum autem Cœlum nunquam à ſuo loco diſcedit. Quieſcunt quoque Poli; ſed quidnam ſint Poli, et quænam ea ſit quies, uix percipi poteſt. Poli non ſunt extra Cælum, quoniam ſunt aliquid Cæli: atque extremæ illius partes, à quibus ingens orbium circulus, qui Aequinoctialis dicitur æquè remotus eſt. Hæ autem partes non ſunt diuiduæ. non enim quieſcent, quoniam ſunt Cœlo adiunctæ, atque continuæ. quæ cùm aliæ moueantur partes, non poſſunt non moueri. Quieſcunt autem Poli, ſed non uerè. quoniam nec ſunt ueræ Cœli partes. Igitur concludendum in Cælo nullam eſſe partem immobilem. ſed uerſari circa punctum, eo modo, quo incipit à puncto. Quod et de quouis Globo, et Cuſpide quæri poteſt.

Cœli quies

Poli quō quieſcant.

De luce, et lumine. *Cap. IIII.*

PRAECLARA, eademque obscura est de luce, et lumine disputatio. In ea enim uiri doctissimi inter se maximè dissentire uidentur. Sed de luce prius, mox de lumine differemus.

Multorum sententia est, lucem qualitatem quandam ferè diuinam in Sole tantùm inesse. Solem autem diffusis toto Cælo radiis, et reliqua omnia accendere sidera, et Vniuersum collustrare Mundum. Incurrente uerò stella aliqua in umbram terræ, subito deficere. quod nullum lumen illi à Sole tum impertiatur. Ita Luna subiecta, et apposita Soli, et illius radios obscurare, et nobis omnem lucem eripere. An stellę lucē habeant propriā: an solis radiis accendantur.

Verum neque Sol duntaxat lucidus est; nec cùm repentè deficiunt stellę, præsertimque Luna, luce destituuntur omnino. Equidem fateor Solem cum omnibus sideribus, æthereisque globis lumen communicare. sidera etiam illa, quæ incidunt in umbram terræ, eo obice interiecto, orbari lumine, quod à sole accipiunt. sed præter id habent stellæ lucem quandam propriam, quæ licèt à radiis solis multis partibus uincatur, et offendatur: nunquàm tamē illā deserit. Idq; ea concluditur ratione. Quod omnia sidera aliquam habent naturæ communitatem. Quocirca omnibus tribuere oportet qualitates aliquas communes; quæ ab illa effluant natura, in qua concurrunt. Hæc autem nullæ aliæ esse possunt, nisi cælestis motio, et lux. Lux igitur omnibus inerit sideribus, et globis. Hi enim ut diximus antea à stellis non nisi raritate internoscūtur.

Vni-

Vniuersum itaque lucis subiectum, cui inhæret lux, Cælum est. Clarissimè tamen omnium uiget in Sole. Fortasse, quia plenior Solis substantia magisque densa est, quàm in aliis. magnitudo autem, qua omnibus ferè astris antecellit, non parum et lumen auget, et reddit illustrius. Si autem ex innumerabilibus illis flammis, quæ supremo infixæ sunt orbi, unum existeret astrum: eaque tota lux, quæ diffusa est, constringeretur: dubitari non potest, quin hoc unum, et Solem, et Lunam, et uagas stellas nō solùm uinceret; sed etiam non mediocriter obscuraret. Sed iam quid lux sit, et quid lumen uideamus. Lucem qualitatem quandam inter corporeas nobilissimam, et præstantissimam, ita corpori intimam, ut ab eo nunquàm exeat, plerique omnes tradiderunt. Radium uerò, et lumen exire per metaphoram intelliguntur.

Quid sit lux.

Lumen uerò, quidam ex Academicis aiunt, corpus quoddam esse tenue, et purum; quod subtilius explicatum foramina aeris ingrediatur, perque totum peruadat interuallum. Iamblicus tamen, tātum hoc corpus extenuat, ut illud omni spoliet materia, nullaque foramina in media intercapedine requirat, ut intendi per illam possit. Lumen autem corpus esse inde confirmant, quòd cernamus, si duo lumina simul concurrant in interuallo, et coniungi, disiungi, uerti, mutari, confringi, perrumpi, comminui, extingui. Itemq; calefacere, percutere oculos, debilitare aciem, lædere, consumere, destruere. quæ munera corporibus solùm congruere dicunt. In eandem sententiam Plato quoque ire uidetur. In Timeo nanque ubi de uisu, differit, ex lumine inquit, et oculorum radiis coale-

Quid sit lumen. Academicorū quorūdam opinio.

concrescere corpus unum. Corpus aũt non nisi ex corporeis naturis existit. Verùm hæc opinio graues incurrit reprehensiones. Etenim ea posita, corpora se inuicẽ peruadere, et penetrare necesse est. quod naturã excellere uidetur. Lumen nanq; si corpus sit, licèt tenue, et purũ: et partib. præditũ erit, et magnitudine productũ. Quare et locũ complebit. Nõ poterit itaq; esse in alio corpore, si corpus est. Non erit ergo in aere, ut ipsi dicunt. exponant igitur quomodo aerẽ illustrat. Deinde quomodo puncto tẽporis ab Oriente in Occidentẽ producitur? tam. n. immensum spatiũ momento excurrere, cum corpus sit, nefas uidetur. Quod si ut ipsi aiunt, aliqua interposita mora omnis Mũdus illustrat, cur eam non percipimus? cur non sentimus? concedo uelocissimè, celerrimè euolare; sed tantũ iter conficere tã exiguo tẽpore, quale est illud, quod à nobis nec animaduerti, nec sentiri potest; fieri non posse arbitror. Aliorũ sententia est, lumen qualitatem esse quandam, quę ex materia perspicua à corpore lucido exprimatur. Eáq; adducũt, et perspicuũ informare, et illius affectionẽ esse. Abeunte aũt corpore lucido, lumen quoq; extingui, quoniã ut sit, et conseruetur, non solùm pẽdeat à materia, cui inhæret; sed ẽt à ui efficiente, à quo continenter gignitur. Hanc esse naturã luminis ex illius operibus confirmant. Calorẽ. n. efficit, multaq; alia gignit, quæ solũ à qualitate à materia expressa præstari posśũt. Aeris quoq; affectio cũ sit: in illo inesse oportet. inhęrere aũt quì poterit, nisi ex eo antea exprimatur? Hęc illi. Verũ si lumẽ qualitas est à corpore lucido, ex pspicuo expressa; cur noctu lumẽ non uidemus? Sol. n. etsi sub Orizõte nobis occultetur: semper tamẽ radios iàcit in sublime, et ut in Cælum traiiciat ad illustrãdas stellas:

Cõtra Academicos.

Lumẽ qualitas est ex corpore per spicuo præsentia lucidi expressa.

Confutatio superioris sententiæ.

oportetvt aerẽ trãſeat,qui nobis eminet,apertusq́; eſt. Cur cũ illius præcipuũ munus ſit, illuminare omnia, ea muneris functione non uariat, non immutat, non uertit materiam? Vis.n.omnis,quæ ex materia exiſtit, præcipua eius actione,eandẽ immutat. Solum lumen excelſius agit.Etſi.n.tenebras diſpellat,et quæ deliteſce bant antea patefaciat: id tamen præſtat materia nullò modo mutata. Eandẽ quoq; uim iis imaginibus impertitur,quæ eius munere fluũt à rebus. Etenim harũ peculiaris uidetur actio pulſare uiſum,atq; illi res obii cere à quibus manãt.In quo officio fungẽdo ea eſt ima ginũ excelſa operandi ratio, ut materiæ nihil immutẽt.

Rurſus ſi exoritur è materia,cũ in illa inſit,et quaſi obſignetur,ab eaq́; pendeat,cur nõ abeunte Sole paulìſper conſeruatur? Cernimus enim reliquas omnes huius generis qualitates à materia duntaxat, ad breue ſaltem tempus, et ſuſtineri, et conſeruari. Quocirca multi cum Academici,tum Peripatetici negant lumẽ, lucem eſſe propagatam, atque ex materia expreſſam: ſed dicunt eſſe imaginem,ſpeciemque lucis,quam intentionalem appellant. Quæ imago non eſt eadem cũ luce, ſed ab ea generata, atque de Cælo momentò ad omnem Mundum emiſſa. Lumen itaque definiunt præſentiã eſſe corporis lucidi, quod ab illo gignatur. Rurſus lumen lucis imaginem appellant. Non eſt autem hæc imago in medio interuallo, ſed tum demum exiſtit,cùm terminatur ab opaco. perſpicuum autẽ illuſtrat, et manifeſtum reddit; inde actus diaphani ab Ariſtotele nuncupatur.Adiunguntq́; illud,huius ima ginis munere, ex rebus ipſis continenter ſimulachra quædã,quæ in ſenſibus recipiantur, effluere, quæ non res ſint,ſed rerũ ſpecies,et imagines. Indeq́; ea imagi-

Vera de natura luminis ſententia.

num

num effluxione,nec deficere res, nec imminui, quòd nihil rei decedat. Quam sententiam uerissimã omnium iudico. Eaque adducor ratione,quòd his imaginibus uideam moueri, pulsariq; uires animi. Quas impressiones nihil,quod ex materia ortum ducat, effi cere potest. Quòd lumen ne puncto quidem temporis occumbente sole, in aere conseruetur. Quòd rerũ tam multæ imagines in interuallo non misceantur, non perturbentur, non confundantur. Quòd plurima lumina coniungantur facillimè, ac segregentur. Quòd denique lumen ipsum eam partem aeris, quæ sibi adiuncta est, proximeque hæret, illustrare non possit. Omnis nanque qualitas,quæ ex materia nasci tur, rem sibi coniunctam, similem qualitatem ex illa exprimendo,similem reddit. Corpus autem lucidum sui speciem transmittere nõ potest, nisi in rem aliquã, quæ illud directò aspiciat. Denique præstantissima luminis uis,et ea, quæ diximus opera, et præclariora præstare potest. Hoc enim perspicuum est ex animi motibus, qui si uehementiores sint,et corpora immu tant, et frequenter ita perturbant, ut aliquos ad stupo rem, et ad insaniam usque adegerint. Multos quoq; accepimus ingenti lætitia pfusos è uita excessisse. alios dolore uita priuatos. Quos motus certum est ab animo ad corpus permanare. Admiranda autem sunt ea, quæ de serpentibus dicuntur. quòd solo obtutu homi nes interficiant, quæ de fascinatione, quæ et ipsa solo fit aspectu.

De efficientia Cœli. Cap. V.

VETVS dissensio est, iam usque ab Aegyptiorum ducta temporibus; eaque, et Græcorum sapientum, et latinorum firmata consensu, de gubernatione astrorum. Res digna, de qua quæratur, si modò est ulla; quæque diuinæ prouidentiæ summam sapientiam nobis prodat. De qua, tam uariæ sunt doctissimorum uirorũ, tamque discrepantes sententiæ; ut incerta sint omnia; magnisque obstructa difficultatibus cernantur. Plerique enim in hac quæstione, quod maximè uerisimile est, inferiorem hanc Vniuersi partem à Cælo gubernari dixerunt. Dubitare se multi. Reliqui omnẽ gubernationem sustulerunt. Qui uerò à sempiternis illis, æthereisque globis mortalia curari opinantur, tanta sunt in uarietate constituti; ut molestum sit omnium annumerare sententias. Nam, et de Cœli efficiẽtia: et de errantium, atque non errantium stellarum uiribus: de actionis genere, et diuinatione futurorum multa dicuntur; deque his summa contentione certatur. Quod uerò maximè in causa est, quodque rem continere uidetur; utrum astrorum affectio ad omnes res ualeat; uel ad quasdam: et an superari Cœli decreta possint: uel ab illis nemini euadere liceat: sed omnia fatali quadam necessitate regantur, summa est altercatio philosophorum. Itaqũe diuidunt nostri hanc quæstionem in partes tres. Primò docẽt Cælum agere in Mundum. Deinde quomodo agat. Tum ad quas res pertineat Cœli affectio; et ad quas non pertineat:

tineat: Quintumque hæc uis astrorum ualeat in rebus humanis. Nos autem primam partem sumamus: quæ, et à multis prætermittitur, et nos relinqueremus, nisi quidam uiri præstantes, et in Academia nobiles, probatique philosophi rem stabilem, et certam labefactare essent aggressi. Principiò qui diuinandi genus per astra probant; uim quandam aiunt à Cęlo, per medium ignem, et aerem, in aquam, et terram; et in ea, quæ in ipsis sunt uitæ expertia, et animata diffundi, atque hanc cunctis rebus in ortu communicari. Cuius munere procreentur omnia, gubernētur, et dissoluantur. Etenim singulis rebus cùm generantur, certum tempus ab astris præstitutum est. et illud quidem diuersum, pro uaria Cæli affectione. cuius metam excedere nefas putant. Huius rei euenta rerum magis arbitrantur, quàm causas quæri oportere. Mirari enim licet, quæ à Sole, et Luna à quinque stellis errantibus, atque fixis sideribus efficiuntur. Primumque Sol, qui astrorum obtinet principatum; inflectens in signifero cursus, cum ad septentrionem: tum ad meridiem, duo tempora efficit, æstatem, et Hyemem. Eiusdemque modici, et accessus, et recessus, frigoris, et caloris modum temperando, Autūnum, et Ver constituunt. quorum alterum hyemi, alterum æstati adiunctum est. Ex quibus temporum mutationibus, omnium, quæ terra, mariq; gignuntur, initia, causæque ducuntur. Quotidianis uerò conuersionibus ita mouetur, ut cùm terras larga luce compleat, et eas rursus opacet; quatuor temporum, quædam ueluti simulachra, singulis diebus efficiat. Lunæ uerò in signifero menstrua spatia, et brumæ

De efficientia cœli an ulla sit. prima sententia.

Cęli efficiētia comprobatur.

mæ quaſdã, et ſolſtitii ſimilitudines ſignãt. Ita ut multæ gentes, quæ in Aquilonis, Auſtrivè partibus degunt; temporũ mutationes ex lunæ curſibus ſentiant, et experiantur. Multa enim ab ea manant, et fluunt, quibus animantia gignuntur, aluntur, et fructus ad maturitatem pubeſcunt. Eius tanta uis eſt, ut animalia omnia; Plantas, belluas, piſces; et inanimata: maria, freta, flumina, mirificè agat, et mutet. Cernimus enim quaſdam plantas lunæ curſibus, et lumine mirũ in modum affici; uariasque eius ſpecies, et formas, quas tum creſcendo, tum decreſcendo noſtris obiicit oculis, induere, atque ementiri. Vnde et Nomen inuenere, et lunares ſunt appellatæ. lupinus quoque, et Heliotropium rationem ſolaris motus retinent, atque cum ipſo ſole quotidiè circumaguntur. Ita certi quidam lapides Solis, et Lunæ uires maximè experiũtur, dum ſe in uarios colores, diuerſasque naturas, ac proprietates commutant. Sed nonne illud animaduerſum, diligenterque notatum eſt; cùm Oceanum ipſum, et reliqua maria; in primisque quoſdam ſinus, Adriaticum, et Arabicum: tum flumina, inter quæ maximè Nilus; Luna ipſa nunc creſcente, nunc ſeneſcente, certis quibuſdam modis duci, uerti, moueri, agitari, augeſcere, decreſcere? Aliorum quoque ſiderum ortus, et occaſus euidentes rerum mutationes faciunt. Etenim exoriente Canicula Mundus immẽſo flagrat ardore; maria æſtuãt, plantæ creſcũt, canes in rabiem aguntur. At cùm Arcturus naſcitur, imbribus, et pluuiis madeſcũt omnia. Hæc cum ita ſint, nemo, niſi ſenſus, et mẽtis expers fuerit, ambiget reliquas oẽs ſtellas aliquid agere, et moliri; ne futiles, inanesq;

ñesq; sint, atque pro ornatu duntaxat in Cœlo positæ. Illud certè dubitari non potest, omnes stellas eam sortitas esse naturam, quam uires præclaræ, et actiones consecutæ sint. quod grauissimi Philosophi certissimis rationibus comprobarunt. An putamus, quinque illas stellas, qui planetæ uocantur; modò progredi, modò regredi: tum occultari, tum aperiri: nunc abire, et recedere, nunc redire: modò celeriùs moueri, modò tardiùs: cum omnino ne moueri quidẽ, sed ad quoddam tempus insistere: tot deniq; cursus peragere, ut nihil moliantur, nihil efficiant? Itaque tam uariæ Cœli motiones: tam diuersa siderum lumina, nõ possunt intelligi sine magna ui, usu, et actione. Alia quoque ratione, et quidem physica, stellarum efficientia confirmatur. Ex cælesti materia innumerabiles flammæ siderum concretæ sunt. Solem dico, et Lunam, et uagas stellas, et fixas. Harum Princeps Sol, clarissima sua luce, qua omne mundum collustrat; eã, quam habet insignem uim, inferioribus impartitur, cum magno usu, et commodo mortalium. Alij quoque cælestes ignes, cùm et naturali splendore luceant, et à Sole illustrati accepta reddant lumina, eaq; mittant in terras; necesse est uires, quæ ex luminibus exoriuntur, dissimiliter inter se componi, et temperari. Lumẽ n. lumini uariè admotum, illius uires uel cõfirmat, uel infringit. Ex quo efficitur, ut cùm sidera omnia, tam uariis concursionibus, et cursibus modò incitata, et uelocia; modò tarda, et ferè insistentia dissimiliter circumferantur: infinitis ferè modis pro mutatione locorum, et aspectuum, astrorum affectiones temperentur. Nam erraticæ stellæ, ut de his nunc tãtùm

Temperationes affectionesque Cæli uariæ unde oriantur.

tùm loquamur; ſingulæ octo ſtatus ſunt ſortitæ. In quorum aliis maximè uigent, in aliis earum uires deficiunt, et debilitantur. Solem excipio, qui cũ aliis ne agant, ſæpe impedimento ſit; uix tamen ipſe ab aliis impediri poteſt. Etenim Luna, Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, et Mercurius, modò Solem anteuertũt, modò ſubſequuntur. Antecedentes autem matutini: ſubſequentes ueſpertini nuncupantur. Tum ſuprà finitorem procul à Sole nobis ſeſe aperiunt: tum eius radiis deliteſcunt. Tum infra Orizontem, interdiu: tum cum Sole occultantur. Atque nobis nunc aſcendere, nunc deſcendere uidentur. Hanc ſitus uarietatem non poſſum intelligere, ſine magna uirium mutatione. Ex ea enim motionum diſparitate, octo in primis oriuntur ſingulorum Planetarum ſtatus. Modò enim interdiu matutini ſunt, et ſupra finitorem: modò ueſpertini. Nunc infra Orizontem Solem antecedentes: nunc ſubſequentes. Rurſus noctu ſupra finitorem; tum matutini, tum ueſpertini. Tum ſub Orizonte anteuertunt Solem; tum ſubſequuntur.

Iam ſi inuicem hos ſtatus moderemur; ut, quod ad Solem referebamus, id rurſus ad quinque ſtellas, et Lunam uiciſſim cõferatur; quinquaginta ſex exiſtent earum uirium compoſitiones. Ad quas ſi aſcenſus, et deſcenſus, qui in Cœlo fiunt, adhibeantur; duodecim ſupra centum Cæli uariæ moderationes emergẽt. Tres uerò ſuperiores, et Luna cùm à Sole longiſſimè digrediantur; in duabus ſigniferi partibus, quę primę, et ſecundæ ſtationes uocantur; egregiè mutant uires. Ad has, cùm nec Venus, nec Mercurius peruenire unquam poſſint, (nunquam enim duorum ſignorum inter-

interuallo à Sole diſcedunt) ea carent uirium diuerſitate. Superiorum igitur ſtatus omnes, et Lunæ triginta duo numerantur. Veneris ſexdecim. Totidem Mercurii. Sol et ipſe quatuor habet à mundo.

Atque hæc ferè prima Cœli temperatio orta eſt ex diſſimilitudine ſitus; tum planetarum cum Sole; tum uiciſſim inter ſe; tum cum ipſo mundo. Secunda uerò affectio, quæ ducitur ex prima aſtrorũ mutua temperatione, in magnam creſcit multitudinem.

Reliquæ uerò, quæ ex binariis concreſcunt, et ternariis compoſitionibus uſque ad ſeptenariam: quæ unà omnes Cœli moderationum modos continere putatur; uix ſub numerum cadunt. Ita planè euenit, ut non adhibitis compoſitionibus, quæ à ſtellis fixis, ſignis, et reliquis æthereis luminoſis partibus promanant; ipſa planetarum uirium moderationum genera; præter ſingulares etiam modos, ſint penè infinita.

Ex his efficitur, ut cùm tam uariis modis et Solis, et aliorum aſtrorum, atque Cœli temperentur lumina, iiſdem et actiones, et efficientiæ commutentur. Illa quoque à Philoſophis animaduerſa ſpeculorum ratio, qua luminibus uariè acceptis, admirabiles res efficiunt, non leuiter actionem Cęli confirmat. Etenim ſidera Solis lucem in ſe receptam, miris modis tẽperant, immutant, moderantur; unde et effectionem, et actionem Cœli diuerſam reddi oportet. Reſtat ut Plotinum audiamus; qui fidenter ſanè, negat, quicquam ſtellas moliri eorum, quæ dicunt Aſtrologi: ſed omnes anniles fabulas, et futiles eſſe, uiriſque Philoſophis indignas. Mirum inquit eſt, quod aiunt iſti, planetas in alia, atque alia Cœli plaga, ſe uiciſſim

Plotini ſententia de efficiẽcia Cęli.

aſpiciendo, uel non aſpiciendo mutare naturas. quaſi Camaleontis inſtar, nihil habeant conſtantis, propriꝗque uirtutis. ſed ex mutatione loci tam exigua earum uires continenter uarientur, et fluant. Quod quis, non Philoſophus, ſed qui primoribus labris philoſophiam guſtauerit, audeat affirmare? Innumerabiles uerò illæ formæ, atque Cœli tam uariæ, et nouæ temperationes, ex tam diuerſis aſtrorum curſibus, atque cunctorum cæleſtium radiorum confuſione progenitæ: quid ſunt aliud, niſi delirantium Aſtrologorum ſomnia? Radios enim aut corpora eſſe, ut liquores: aut qualitates in corporibus inſitæ, ſicuti naturæ liquorum, quæ miſceantur, quis dicet? Etenim aſtrorum radii, actus ſunt quidam ſtellarum uitales; tanquam ex Argi diuinis oculis emicantes. Qui mundum omnem mirabiliter colluſtrant. Hi autem non miſcentur inter ſe; ſed quales multorum ſpectantium ſeſe animalium oculorum radii, qui nec in alias formas uertuntur, nec cuique rei proprii fiunt. Nulla igitur Cœli molitio, nulla actio, niſi luminis, caloris, humoris. Quæ non ad fortunam, non ad Animum: ſed ad materiam, atque efficientem cauſam; ideſt ſeminariam uim, ut effectum proprium producat, prouocandam ualet. Neque enim fieri poteſt ex tam uaria Cœli moderatione; radiorumq́; immiſſione, quæ alio momento ſemper eſt alia, rem unam gigni. Quæ ut fiat, certo indiget tempore. Sed fortaſſe inchoari: talemque perfici, non qualis eſt cæleſtis illa affectio, ſed qualis eſt materiæ præparatio, quæ anteceſſit. Et denique qualem decernit ratio ſeminalis; tum propriæ, tum uniuerſæ naturæ. Reliqua uerò, etſi à ſtellis

Eucta rerū

non

non fiant: significari tamen, et à quibusdam paucis, sed ægre intelligi, prædicique posse censendum est. Significatur à sideribus ait Plotin'.

Quo in artis genere floruere Chaldæi et Aegyptii. Qui diuturna obseruatione siderum edocti, quid cuique euenturum, et quo quisque fato natus esset, prædicebant. Etenim astra animata sunt, et in eorum animis descripta est series rerum futurarum. Non earum tantùm, quæ ipsi per se ipsos, aut per cælestia effici possunt: sed illarum etiam, quas elementa, lapides, herbæ, plantæ, bruta animantia, et ipsæ deniq; rationales animæ, cœlestium animorũ germanæ: aut natura, aut fortuna, aut consilio moliuntur. Igitur quæ portendunt cælestes animi, assidue mortalibus significant. Stellas nanque ita componunt, ac si literas in orationem texerent. illasque non ignaris cognoscendas obiiciunt. Ita cùm ex Mercurio certò modo posito, Astrologi intelligunt, eo tẽpore, quo aliquis natus est; primas partes illũ in Cœlo obtinuisse: prædicunt natum fore sapientem. Significat enim animũ tum è Cælo in corpus descendentẽ, Mercurii Numini familiarem esse, Atque Mercuriali quodam Dæmone gubernari. Vnde siquis agnouerit, quæ nam fuerit Cœli species, et constitutio quando oriebatur; et quis in ea principatum tenuerit, is Dæmonem, quem in ortu nactus est, assequetur. Quamuis autem arduum, difficileque sit Cæli principem cognoscere: multi tamen se illum scire profitentur. Itaque quotidiani situs, mutuique planetarum aspectus, euẽta rerum præterita, futuraque declarant potius, quam efficiant. Perpetua uerò stellarum lumina, perennesq; ad nos accessus, atque recessus ad corporum spectant Quõ astra nobis rerũ euẽta figni ficẽt ex Plotino.

affectiones communi rerum omnium conditione. Quæ per propinqua, et propria naturæ ſemina penitus mutantur. Itaque hæ futurorum præſentiones, et prædictiones nihil efficiunt aliud, quàm quòd leges fati, quo quiſque natus eſt, per aſtra interpretentur. illas autem non præſcribunt. quia Fatum longo interuallo ortum anteceſſit. quando ſcilicet animus optauit generationem. Oraculorum quoque reſponſa, Ammonis, Pythii, Dodonæi. Auium uolatus, et cantus. Exta pecudum. Monſtra, fulgura, auguria, ſortes, ſomnia. Sybillarum, ariolorum, et uatum furibundæ prædictiones. Phyſionomiæ præſagia, ſigna ſunt, non cauſæ futurorum. Cur igitur exiſtimatis in una Cœli affectione nõ ſignificationes ſolùm, ſed cauſas rerum efficientes contineri? Deſiſtite urgere, quod ſuperiores ſint ſtellæ. Nam et aues, et fulgura in ſublimi ſunt. Deus quoque, et diuinæ mentes. Oraculorum uerò, et Prophetarum uerba diuino furore prolata, futurorum uaticinia ſunt, non cauſæ. Ex his efficitur Cęli faciem diuinum quendam librum, in quo figuræ diuinitus impreſſæ, quotidie ſenſim explicentur. Hæc Plotinus. Cuius ſententiæ falſitas, ex his, quæ dicemus, perſpicua fiet. Veniamus ad uires Cæli, et modum agendi. Cælum progenitoris loco ueteres habuere. Nam rerum omnium corporeæ naturæ, et uires, quas ſparſas cernimus in Mundi partibus, eminentia quadam ſublimi in ætherea illa, et altiſſima natura, atque in præſtantiſſimis illius qualitatibus cõcluduntur. Ab eo enim et animata omnia, et ea quorum ſtirpes terra continentur, et quæ uita carent, gignuntur, aluntur, et augeſcunt. Quin etiã

Cœlum diuinũ quendam librũ eſſe, in quo rerum euẽta Dei manu literis quibuſdã conſignata ſint.

Cœli uis efficiendi.

rerum

rerum omnium uires: cũ illæ, quæ sensibus sunt apertæ: tum quæ rebus intimiores altiùs delitescunt, à Cæli natura, et qualitatibus prodiere. Nam cùm eas in Mundi partibus impressas esse uideamus: cumque cõpertum nobis sit, à nulla alia re eas consignari potuisse, nisi à potestate aliqua inter alias optima, et præstantissima, quæ ui sua mira quadam ratione illas omnes complecteretur: unde eas putamus profectas esse, nisi à Cælo? Primum etenim corporum est. Lux etiam Cæli qualitas inter omnes corporum qualitates prima atque insignis. In Cælo itaque inest procreandi uis, et causa gignendi. De qua hoc primò uidendum. Vtrum motu, luce, et calore, an quibusdam aliis occultis affectionibus in has Mundi inferiores partes immittantur Cæli uires. Ego enim sic existimo. Si ab his quas dixi, qualitatibus elementa, imbres, tempestates, niues, grandines, fulmina, nimbi, uastitates, pestilentiæ, terræ motus, et fremitus; cælestes faces, atque cometæ; metalla, lapides, stirpes, animalia, atque horum omnium tam uariæ, atque admirandæ uires, procreari potuerunt: nullum aliud instrumentum, quo Cælum suas perfectiones cum reliquis rebus communicet, exquirendum: sin minus concedendæ Cælo omnino sunt occultæ quædam effectiones. Quæramus igitur primùm cælestium motionum functiones. Motum Cæli uitã quandam tribuere cunctis rebus testata est antiquitas. Cui et Aristoteles acerrimo uir ingenio assentitur. Etenim siderum uarius cursus causæ est; ut inferiora omnia agitentur, et moueantur. sed dispari quadam ratione. Quædam enim ut mare, Oceanumq; in primis; multa

Cæli instra quibus excelsa illa natura suas uires explicat, et in inferiorem Mundi partem infundit.

Motus efficientia.

Oceani progressiones uariç maritimiq;ęstus unde existant.

ta etiam maris freta: fluuios; lapillos quosdam, et herbas ita agitat, ut ea statim, nullo alio adhibito instrumento, et impellat, et moueat. Mare nanque certis, statisq; temporibus agitur progressionibus, et regressionibus. Qui motus cũ duplex sit, ac uere duplex. i. in seipsum replicatus: alter quidem secundũ motũ supremi orbis: alter contrarius recurrens: nõ potest effici à causa interiori: Etenim si ab incluso, et intestino principio contrarius, ac multiplex motus prodit, iam mare animal est. Quod et Academici sunt commenti. Solus enim animus, neq; is quidem omnis, uariè dissimiliterque mouet. Vnde igitur hic omnis motus segnior, uelocior, progressus, regressus? Vnde uicissitudo, celeritas, tarditas, cessatio, priuatio, repugnãtia? Profectò æstus hi maritimi ortu Lunæ commouẽtur. Hæc cùm in Occidentem decurrat, ui sua secum ducit aquas; mareque illam sequitur, quocunque uadit, quandiu nullum obicem offendit. Vbi uerò retunditur obiectu litorũ; recurrere iterum cogitur in Orientem. Nec temerè id fit. statis enim quibusdam horis exoriens Luna, quousque ad eam Cœli plagam peruenerit, quæ media dicitur, mare rapit in Occidentem. Vbi uerò descendere cæpit, ad Occasumque uergit, remittit uires quousque occumbat, nec amplius agit aquas. Cœli itaque dimidia pars, quæ semper extat, traiicitur siderum cursibus duodecim horarũ spatio. Sex horis ab Oriente ascendunt stellæ in plagam Cæli mediam. alio tempore descendunt ad Occasum. Mare uerò Lunæ cursus rationem sequens: primum tempus in ascensu consumit. reliquum in declinando exhaurit. Inconstans autem est hic maris progressus,

et re-

et regressus; propterea quòd non eodem semper loco; neque eodem modo oritur Luna, atque occidit.

Multa quoque herbarum genera, cum ad Solis, tũ ad Lunæ motum uertuntur, ut antè diximus de Heliotropio, et iis stirpibus, quæ lunares appellantur. Verùm hoc magnum negotium facit Peripateticis. Quì enim potest siderum motus non tangendo mare, aquas ducere? sed et illud facere debuit, cur Magnete ferrum alliciatur. Rursusque ferrum Magnete illisum Cynosuram, et Helicem semper spectet? Multorum euenta comperta habemus; quorum causæ quæri quidem possunt, inuenire autem homini perarduum. Pleraque alia mouentur ab inferioribus causis, et quidem contrariis motibus, ut ignis sua leuitate in sublimè fertur, deorsum terra sua grauitate tendit. Quorũ omnium auctor est cœlestis motus. Quamobrem rectè defendit Aristoteles à motu Cœli salutarem quandam uitam rebus mortalibus impartiri. Cui et nos assentimur. Quæ enim uita sine actione munerũque functionibus esse potest? Quæ molitio, quæ actio sine motu? Qui motus, nisi à primo mirabili quodã modo excitentur? A Cœlo itaque tanquam à uitæ fonte, omnis motio in reliquas uniuersi partes deriuatur.

Cęli motus origo et cã omniũ motionum.

Loquor nunc de ea, quæ tantùm in corporibus est uita. quæ omnium animantium genus continere uidetur. Animum hominis non continet. Huius enim dispar est ratio. Diuinam enim quandam uitam uiuit: ob sui præstantiam, et immortalitatem. Cuius uitæ, et eorum, quæ in ea sunt actionum, causæ non rectè exquirentur in Cęlo. Atque hæc ferè prima est cælestis motus actio, quæ ab eo ad mundum permanat.

manat. Hanc ſequitur illa, qua calorem gignit. Sed gignat ne ipſe primùm; an id faciat aere prius ſubtiliùs explicato, et attrito, res plena eſt controuerſiæ, et quæ ad hunc locum non ſpectat. Poſtremò lucem tam uariè, ac diſſimiliter in mundum inuehit; ut hæc una eius propria muneris functio à multis iudicetur. Ex qua replicationum, et conuerſionum diſparitate: cum innumeræ luminum uarietates, quibus mortalium corpora, et animi uiciſſitudine quadã recreantur, et langueſcunt: tum Cœli affectiones, temperationesque admirabiles prodiere. Cùm itaque ſidera, alia tardiùs, celeriùs alia ſuos curſus conficiant. Rurſus quædam pluribus motibus, quædam paucioribus. Multa quòd in Cœlo excelſiores ſedes ſint ſortitæ, ampliora et maiora ſpatia peragant; alia anguſtiora quædam gyra circumeant: ſunt qui putent multitudinem motuum, et uarietatem non ad rerum efficientiam; ſed ad dignitatem, atque nobilitatem aſtrorum, quę mouentur pertinere. Sidera enim inquiunt, quæ præſtantiora ſunt, id paucioribus præſtant motionibus, quod reliqua pluribus efficiunt. Ego quidem iudico multitudinem motuum, quia ualet ad mutandum ſitum aſtrorum; ualere etiam ad temperandas eorum affectiones. Stellarum uerò celeritas, et tarditas non ſolùm uarium lumen mittunt in terras, ſed etiam caloris uim, augent, et imminuunt. Velociùs quoque concitant ea, quæ impellunt. Ita ut ſi celeriùs Luna moueretur, uehementiùs quoque agitaret aquas. Elementa autem, et quæ mixta corpora appellantur. plantæ etiam, et animalia motum quidem à Cœlo habent: ſpeciem, formam ab interiori principio.

Motionum uarietatis efficientia.

cipio. Celeritatem, et tarditatem à mouente, ab impulsu, à figura. Animalia ab appetitu. A uoluntate homines. cuius nutu omne corpus regunt, et moderantur.neque.n.motionum species, uelocitas, tarditas in Cœli motū, qui semper similis, æquabilisque est, referri possunt. Nā sidera ità mouentur, ut cursus suos uertere, retardare, remittere nullo modo possint. Fæliciùs tamen in uno, quàm in alio loco uires suas cum mundo communicant. Sed id, ut diximus, ualet ad temperandas Cœli affectiones; non ad corpora mouenda. Atque hæ ferè sunt Cæli actiones, quæ motu peraguntur. Veniamus ad lumen, cuius præclarissima actio in primis ea est, quæ diem inuehit in Mundum. Ex qua magna utilitas, hilaritas, atque iucunditas omnium animantium generi accedit. De calore autem lumen nè fit, an à lumine fluat: an distincta sit qualitas quædam manans à Cœlo, obscura quæstio est. Sunt enim Philosophi, qui putant Cœlum, Cœlique partes calere. calorem autem esse radii, siderisque substantiam. quo fit, ut clarissima sidera, etiam calidissima sint. Iidem Cœlum non solùm ipsum calidum esse, sed cunctis rebus calorem impartire dicunt. Ignem autem nullum agnoscunt, nisi hunc nostrum, quæ potius materia est, quæ concepit flammam, quàm ignis. Quæ sententia futilis inanisque est. Si enim calida est altissima illa natura, cur non etiam frigere possit, non uideo. Quòd si id propter cælestis caloris excellentiam, et magnitudinem non contingit: Cœli tamen natura nec obstat, nec impedit: sed ad frigus in se recipiendum est apta. quo quid absurdiùs dici potest? Deinde si tanto calore

Luminis Actio, & efficientia. Cęlestis calor unde existat.

Cęlestis calor qd sit. cōmentitia sententia.

Disputatio contra superiorē sententiam.

lore Cœlum suffusum esset, si tot siderum flammis incensum: profectò radiorum conflictu totus conflagaret orbis. Quid enim tanto ardori, aut repugnare, aut aduersari potest? Quomodo autem calor, aut sideris, aut radii substantia est? Sole enim à nobis abscedente abest radius. Calor manet. Aut ergo destituitur à radio calor; Aut radius à calore deseritur. Substantia itaque à se ipsa aberit. Aliorum autem opinio est; calorem nec sidus esse, nec radium, nec lumen; sed à lumine manare, et illius insignem quandam esse proprietatem. Hunc autem ab igneo ardore multum differre dicunt. Etenim ille calor duntaxat est: cui aduersatur, repugnatque frigus. idemque et confector est, et consumptor omnium. et quocunque inuadit, cuncta disturbat, cuncta dissipat, egetque pabulo, quo depascatur. Cœlestis uerò æquabilis est, et nihil illi repugnat: sed omnes qualitates elementorum vel inter se contrarias in se complectitur. non quales sunt in Elementis: sed quemadmodum numerorum species in uno: in luceque colores concluduntur. Est enim calor quidam sublimis, eminēs, atque excelsus. Qui et uim, et causam in se continet gignendi omnes qualitates. Qui non destruit, non urit, non consumit, non depascitur; sed salutaris est, atque uitalis. Vitalis non quòd ipse uiuat; aut uitam tribuat. Sed cum in gignendis inanimatorum formis, uniuersalis quidam est effector: tum ad confingenda corpora, quæ uitæ apta sunt, et ad ea præparanda, ut uitam suscipiant, mirus est artifex. Quare si cœlesti hoc calore desererentur corpora; omnis quoque tolleretur generatio rerum. Eo enim sublato, et

Altera sentētia de cœlesti calore.

lan-

languerent omnia, et torperent otio. Naturas nanq; excitat ad agendum, atque cum singulis similia efficit. Aquæ uinctus generat aquam; igni autem ignem. ita in reliquis omnibus mixtorum concretionibus, singulares sequitur naturas. Ab illis enim definitur ampla eius potestas, atq; ad omnia efficienda idonea. Ipse uerò earum uires temperat, et moderatur, et cum quibusdam effectus gignit uarios, atque admirabiles.

Denique cælestis hic calor proximè uitæ substernitur, et extrema quasi coniungit, uitam corpori, et corpus uitæ. idemque cognatus est spiritui illi, qui animam corpori nectit, cuique præcipuè uita adest.

Verùm fallit nomen caloris. quod cum audimus, rem frigori aduersam statim intelligimus. At cælesti calori proximior quidem est igneus calor. cùm et frigore sit præstantior. longius tamen adhuc ab ipso abest. Hæc illi. Quæ sententia diuidenda mihi uidetur. Quatenus enim à lumine calorem oriri dicunt, illis facilè assentior. Etenim lumen, etsi lux non sit, sed lucis imago, ut à nobis ostensum est antea: tamen insignem uim quandam obtinet gignẽdi caloris. Gignit uerò ubi est. Non est autem in omni hoc interuallo, quod inter Cœlum et terras est interiectum. Nam ut alio loco diximus, ea est imaginum specierumque natura; ut statim ac opaci aliquid incurrerint, existant: antea uerò nullo modo sint. Quocirca ubi præsentia lucentium corporum ab opaco fuerit terminata, et existunt siderum lumina, et ab iis ex materia exprimitur calor. Calor autem ubi fuerit exortus, nõ solùm à lumine augetur; sed etiam se ipsum propagat per similem generationem. Illa autem, quæ de huius

Calor cœlestis è lumine exoritur

Confutatio secũdæ sententiæ.

caloris natura dicta sunt. quòd excelsa sit, quædam qualitas, atque sublimis; quòd in se ipso contineat uim, causamque gignendi omnia; quòd frigori adiunctus frigus gignat, calori uerò calorem: commentitia mihi uidentur. Nam cùm ipsis sensibus experiamur, hunc à lumine genitum calorem, et calefacere, et frigori aduersari, illiusque pellere uim, et humore depasci; non potest esse communis qualitas, sed singularis, et uerè calor. Deinde quæro, cùm hic calor ex materia sit expressus, quomodo potuit repugnantes inter se uires obtinere? Omne enim quod ex materia nascitur; in natura aliqua definita conclusum esse, necesse est. Ad generationem quoque si adhibeatur hæc communis qualitas; uel nihil præstabit, uel omnibus idem. Etenim cùm sit naturalis, naturaliterque agat, cur non secundùm propriam aget naturam? Ex his efficitur calorem hunc, quis ex lumine manat, definitam quandam esse qualitatem. eandemque, et cum frigore pugnare, et illud retundere, et rursus ab eodem debilitari. In omnibus autem, ad quæ à natura adhibetur; caloris opera præstare. generationes rerum moderari, et temperare. easque uel maximè adiuuare; quia sine calore, neque inchoari, neque absolui queant. Sequitur, ut uideamus num Cœlum, et astra moueantur solùm, et luceant, caloremq; hunc Mundo salutarem impertiant: an præter has alias habeant uires; et si habent, quomodo illas cum reliquis Mundi partibus communicent. Profectò, et cælestes orbes, et errantia sidera, non solùm propriis naturis, sed etiam genere disiunguntur. Ideo necesse est illa, diuersas uires consecuta esse. quæ, et uariæ sint, et admira-

Caloris cælestis efficientiam.

Cœli, siderumque uires.

mirabiles, nobisq; occultæ. Quid illas Herculeo lapidi, pyrithi, et plerisque aliis concedemus? æthereæ autem illi naturæ inter reliquas omnes, et primæ, et præstantissimæ non tribuemus? cùm præsertim singulares quidem effectus ab illa prouenire uideamus. Quorum causæ nos latent, et à nobis in Cælo exquiruntur. Innumerabiles uerò illæ stellæ, quæ uni infixæ sunt orbi; cùm omnes ex eadem materia existant, eas proprietates obtinere oportet, quæ solùm inter se magnitudine differant. Ad maiora enim astra, maiores quoque uires consequuntur. Illud difficile cognitu est, quonã modo Cælum eas proprietates cum inferis naturis communicet, quomodoque ad nos perueniant. Mihi enim uidetur ad terras nullo alio modo permanare posse, nisi à luminibus inuehantur. Nã si ipsæ è sideribus effluunt, et ut ad nos perferantur, medium traiiciunt interuallum: quæro primùm imprimantur ne adiunctis, propinquisque partibus, an ex illis exprimantur. sed nec exprimi, nec imprimi possunt. cælestes nanque globi nullam externam suscipiunt qualitatem. quomodo igitur per aerem mittuntur in terras? Luna enim omnes omnium superiorum uires respuit. Quare intelligi nõ potest, quonam modo illæ nos attingant. Actio nanque ut imprimi in alio possit, continuationem quandam requirit efficientes causæ, cum eo quod patitur. quæ inter inferiorem hunc Mundum, et superiores globos nulla esse potest. cùm inferior orbis superioris efficientiam nec in se recipiat, nec in aliud transfundat. Quocirca necesse est, si astrorum uires, inferiores naturas attingunt: ut luminibus inuehantur in Mundum. quæ lu- | Quõ Cæli uires inferiorem Mũdi partem afficiant.

mina,

mina, et uaria sunt, et diuersa pro uniuscuiusq; sideris natura, à quibus manant. Iccirco dissimiles habēt uires; dissimiliterque res inferas afficiunt. Inter se autem non miscentur eiusmodi uires. sed singulæ sua obeunt munera in natura. In qua inueniuntur, postea effectus impressi. qui inter se deinde miscentur, et temperantur. Restat, ut inquiramus ad quas res pertineat Cæli affectio, quantumque ualeat in rebus humanis. Plerique enim Astrologorum siderum uim non solùm ad elementorum commutationes uarias, uastitates, terræ motus, et fremitus, cælestes faces, cometas, imbres, tempestates ualere dicunt: sed et ad plantarum, animaliumque omnium generationes, et actiones. ad corporum uirium affectiones, et temperationes. ad animi habilitates. et declinationes. ad mores, ad habitus. Ad dignitates, ad diuitias, ad fortunam omnem. ad filiorum procreationem. ad uitæ cursum; ad eiusdem exitum. ad actiones denique omnes. quæ uel benè, uel malè fortunatos homines efficiunt. Quodq; ferendū minimè uidetur: nō solùm hominum liberam uoluntatē astrorum necessitati subiiciunt: sed et præclara omnia munera, (rem impiam) quæ à Deo ad homines permanant: ad Cælum, et sidera referunt. eaque Fato fieri dicunt. In quorum ore hæc frequentissimè uersantur.

Ad quas res ptineat Cœli affectio, quantūq; ualeat ī rebus humanis.

Fata regunt homines.

Quæ, et aiunt esse immutabilia.

Desine Fata Deum flecti sperare precando.

Fato etiam, et perfugia, et solatia mortalibus præbent.

Soluite mortales animos, curasque leuate
Totque superuacuis uitam deflete querelis.

Fata

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finis ab origine pendet.

Ex his autem quidam sunt, qui cùm hæc retinere, defendereque cupiant, horum effectorem præcipuum Deum agnoscunt. Cœlum autem instrumentum diuinæ prouidentiæ: per quod Vniuersi princeps, et rector cuncta exequatur, quę procurat. Quocirca aiunt, Deum non solùm in æternitate omnia prouidisse, quæ futura erant: sed et Cælum procreasse, tot flammis, luminibusque distinctum, ut ea, quæ prouiderat, cùm opus esset, explicaret. sideribus enim admirabiles quasdam ingenuisse uires; quæ ad res omnes ualerent. ad quæ uarios adhibuisse cursus. quorum munere Cæli affectiones mutarentur. His autem ita præparatis; Prouidentiæ munera in Mundum opportunis temporibus immittere. Tanto autem ordine siderum conuersiones, replicationes, aspectus, conuenientias, et conuersiones fieri: ut astrorum effectiones nec se inuicem impediant, nec una alteri obsistat. sed omnes incredibili quodam consensu conspirent ad prouidentiæ leges exhauriendas. Eoque ordine continuatæ Cæli efficientiæ, nec inter se repugnent, et se inuicem maximè iuuent, atq; confirmẽt.

Hæc illi. Quæ licèt propius ad ueritatem accedere uideantur: multa tamen implicant et inuoluunt, quæ falsa sunt. Etenim Cœlum, fateor, cum ad conflandum vniuersum; tum ut instrumentum quoddam diuinæ prouidentiæ effectum esse. Sed per Cœlum omnia Deum exequi, quæ procurat, et nouum est, et iniquum.

quum. Etenim cum diuinæ Prouidentiæ, qua Vniuersus hic mundus pulcherrimè regitur; duæ sint ueluti partes: Vniuersalis una, et Communis: altera peculiaris. Hæc posterior nec Cœlo exequitur, nec illa, quæ ab illa decernuntur, subiiciuntur astris. Huius generis sunt, quæ ad diuinam spectant gratiam, quæ hominibus, Angelisque impertitur. et ea omnia, quæ gratiam consequuntur. qualis est immensa illa gloria, fælicitas summa, quæ et hominum, et Angelorum naturam excellit. Huc etiam spectat uindex Iustitia, et quæ ab illa emanant Tartara, pœnæ, supplicia, extremaque miseria. quæ ab alia radice pullularunt. Alterius autem Prouidentiæ decreta explicantur non modò à Cœlo, sed etiam à libera hominis uoluntate.

Quare ita sentimus. ea omnia, quæ communi prouidentia præscripta sunt; partim à Cœlo; partim hominum consilio, et prudentia peragi, et expleri. Voluntas autem nec Cœlo subiicitur, neque à sideribus uel trahitur, uel impellitur ad agendum. allici tamen potest corporis affectionibus: quæ ab astrorum efficientia imprimuntur. Quocirca quæ libera potestate non eueniunt, ea à siderum ui, effici necesse est. Sidera tamen non ita ad efficiendum concurrunt; ut ipsa absoluant opera: sed causis particularibus uires quasdam suis luminibus infundunt. quibus illæ uariis modis affectæ, uel ad agendum excitantur, uel rursus ab actione reuocantur.

De Elementis. Cap. VI.

CVM veteres omnes Philosophi ad vniuersæ naturæ cõsiderationem animos applicuerunt: tum in ea parte diu, multumque uersati sunt, quæ de Elementis uocatur. Quòd ex illis, et admirabilis hæc vniuersitas concrescat: et innumeræ rerum mortalium formæ in lucem proditæ sint. Copiosus quidem locus; et ad perfectionem illam, de qua à nobis tota hæc suscepta est disputatio; ualde necessarius. Nam, et de Elementorum ortu, atque natura: de motu, et numero; deque eorũ concursu, cum ad mundum componendum: tum ad ea corpora omnia conflanda, quæ mixta appellantur, multa dicuntur: quæ controuersiæ plena inter Philosophos uidentur. Hęc, et à nobis si consilii nostri memores esse uelimus; prolixè tractanda essent. Eaque profectò agitaremus, nisi paucis antè annis CARDINALIS CONTARENI gentilis mei, doctissimi, et elegantissimi libri in manus uenissent. Quos cùm libentissimè percurrissem: magnam primùm cæpi uoluptatem. quòd in iis, et acumen ingenii, et admirabilem quendam leporem dicendi, quò ille maximè floruit, agnoscerem. Deinde cùm diligentiùs, quæ de Elementis ab eo scripta sunt, considerassem: animi aciem, magnumque optimarum artium studiũ sum admiratus. Etenim partem illam, ita sententiis non solùm subtiliter, et acutè; sed et uerbis etiam ornatè tractauit, ut tota ea res ab eo planè confecta mihi uideatur. Quocirca non solùm consilium, quod

de illa re tractanda, ante susceperam, deposui; sed etiam animum appuli, ut eam philosophiæ partem ex illo exquisitiùs intelligerem. Verùm ne omnino rationem instituti mei deserere uidear; duas illas de motu, et numero Elementorum maximas quæstiones attingam, reliqua consultò prætermittam. Has quoque breuiùs edisseram, et de illis dicam, quæ sunt in promptu. recõditiora autem à doctissimo CONTARENO exquirere poterimus. De Motu autem prius, mox de numero disseramus. Motum Elementorum ita explicat Aristoteles. Elementa, cùm corpora simplicia sint, atque omnium prima (Cœlum excipio, cùm de eo satis antea sit disputatum) motum aliquem simplicem illis congruere necesse est. Hoc autem ille longa comprobat oratione. Motuum autem simplicium numerum sumit ipse ex duobus figurarum simplicium generibus, recto, et rotundo. CARDINALIS autem CONTARENVS, quòd ea ratio ab Aristotele ex Geometriæ principiis, ad rem naturalem demonstrandam sumeretur ex iis, quæ ipsis oculis uidemus, motus simplices duos esse, rectum, et orbiculatum pulcherrimè cõfirmat. Mox rectum uterque in duos diuidit. Quorum alter ad mundi medium tendit: alter autem à medio discedens, fertur in sublime. Itaque cùm Elementa moueri uideamus; ex his, quædam sunt, quæ in orbem aliquo modo à Cœlo concitantur: ut ignis, aer, aqua. Quem motum naturalem illis non esse, vel proprium satis constat. Naturaliter autem cùm moueantur; eorum quædam ad mundi medium incitantur, quò cum appulerint, quiescunt. quædam

De Motu elementorum.

Motus naturalis elemẽtorum.

ab ea

ab ea parte recedentia feruntur in Cœlum. Motus hic et certus est, et perspicuus. Principium autem, et causam, à qua prodat; num interior sit, an exterior; inuenire difficile quibusdam uidetur. Etenim si se ipsis ad motum incitarentur Elementa, se ipsis quoque ab eodem desisterent. at perenni quodam motu agitantur, si nihil obstiterit; quousque ad proprias sedes peruenerint. Deinde omne, quod à se ipso mouetur, ex duabus constare partibus uerissimè proditum est. Quarum altera impellatur: moueat altera. Elementa autem ex materia quidem concrescunt, et forma: sed infirma, usqueadeo et obscura; ut aliquos ciere motus, uix credi possit. Verùm si nullum est in mundo corpus, qui naturaliter uel moueatur, uel moueri possit: si ex elementis, alia ad medium accedunt, recedunt alia: si præter hos, nullus eorum est alius motus eorum naturis consentaneus: profectò motiones illæ Elementorum naturales erunt, et à propriis, interioribusque formis prouenient. Hæ autem interiores causæ, nullæ aliæ sunt, nisi grauitas, et leuitas. quas in Elementis inesse perspicuè cernimus. Ab iis igitur omnis hic motus proficiscitur; non ab exteriori motore alio. Non mouentur autem se ipsis quemadmodum animalia. In his enim cùm et cognitio quædam boni, et appetitio uigeat: præcurrit cognitio; deinde pulsatur appetitus, et mouetur ad bonum inquirendum. quo allecuto quiescit. Moueri itaque dicuntur se ipsis: quoniam illius motus proxima causa est appetitus. appetitionis autem principium est bonum ipsum ante perceptum, atque comprehensum. Quæ cognitio

Principiū motus elemētorum.

Motus elemētorū nō est ab interiori principio, quēad modū motus animalium.

animalium propria est; nec ab externa aliqua causa illis tribuitur. Elementa autem et formam habent, et eam, quam diximus, declinationem ad locum proprium. Vtrunque impertitum est illis ab eo principio, à quo generata sunt. Hæc de Motu. Numerum inquiramus. Multi enim cùm abscedente à nobis Sole cuncta frigore obrigere cernerent, rati omnem calorem à Cœlo rebus mortalibus impartiri: tria Elementa; et ea quidem omni uacua calore, posuerunt. Nimirum aquam, terram, aerem. Ignem uerò penitus sustulerunt. Si nanque ullus esset in mundo ignis, cùm maximè sit illustris, longè, lateque luceret; et nos ipsum cerneremus. Animal quoque aliquod reliquis aliis nobiliùs in eo uitam ageret. Cùm enim hoc omnium præstantissimum sit Elementum; habitatoribus quomodo carebit, cum terras, aquam, aerem à tot animantium generibus incoli uideamus? At nullum huiusmodi animal esse constat, quod in igne uiuere, et conseruari possit. Itaque nullus erit ignis. Plato uerò in Timeo ait, Deũ mundum hunc, et corporeum, et aspectabilem, et tractabilem effecisse. Nihil autem uideri, aut tangi posse, quod igne, et terra careat. Duo igitur hæc corpora, extrema facit vniuersi. Quæ corpora, ut in unũ proportione coniungat; uinculum quærit in Stereometria, interque duo extrema, duo inuenit corpora media, quæ proportione illa astringeret, et colligaret. Indeque quatuor esse mundi Elementa concludit. Hæc fateor ab illo et acutè inuenta, et subtiliter esse disputata. Rem autem, quæ nunc agitur, nullo modo confirmant. Etenim potuit Deus Mundum aspectabilem

De Numero Elementorum.

Platonis sententia.

bilē efficere ſine igne. Neque enim lux adeò iuncta eſt igni, ut in alio corpore, et excellentiùs eſſe nequeat. In Cęlo.n.candor ille illuſtrior eſt quocũque igne. Sed et Cęlũ ex igne potiſſimùm conſtare, et lucere putauit Plato. Deinde ſi ex Stereometria nodũ quærit, quo extrema illa coniungat, cũ ſenſus ipſi fidē faciant inter ignem, et terram, aerem, et aquam interiectam eſſe; cur non ex iis certius rem conclufit? Sed et in hoc uoluit oſtendere; quemadmodum efficere Mundum moliens Deus; proportionis, et comparationis rationem habuerit. Ariſtoteles autem quatuor eſſe Elementa, ex quibus Mundus ſit effectus, certiſſimis demonſtrationibus prodidit. Etenim cùm Elementa, et prima ſint in Mundo corpora; et ex iis res omnes mortales concreſcant: neceſſe eſt, ut rerum generationes fieri, abſoluique poſſint, illa repugnantes, et primas quaſdam obtinere qualitates. Primæ autem illæ ſunt, quæ tactu percipiuntur. Id, quod oſtendit, et ipſe ſenſus. qui cùm primus ſit inter reliquos: in primas quoque fertur qualitates. hæ igitur tribuendæ et plenè, et perfectè ſunt Elementis. Cumulatè autem eſſe in Mundo nequeunt; niſi iis omnibus modis iungantur, quibus complicari poſſint. Calor autem et humori, et ſiccitati iungitur. Frigus etiam utrique connectitur. Quatuor igitur exiſtunt harum qualitatum primæ temperationes. Quarum ſingulæ ſingula requirunt prima corpora, in quibus inhæreant. Hoc ipſum et altera ratio, et quidem Phyſica declarat. Requirit rerum generatio, ut Elementa contraria inter ſe ſint. duo itaque primùm conſtituere neceſſe fuit. quorum alterum calidum, et

Ariſtoteles de numero elemētorũ.

ſiccum:

ſiccum : alteum frigidum, et humidum eſſet. Cùm autem hæc eo in ordine extrema ſint, uinculũ aliquod ad cohærendum deſiderant. Vnum autem ad extrema iungenda non eſt ſatis. Vinculum nanque aptiſſimum, et pulcherrimum illud eſſe uidetur, quod eadẽ proportione extrema connectit. nimirum, ut eãdem comparationem habeat medium ad extremum; quã primum habet ad medium. Hæc in uno medio conſeruari non poteſt, ſiue illud ſit calidum, et humidũ; ſiue frigidum, et ſiccum. Si enim unum aliquid eiuſmodi locemus in medio: aliam habebit comparationem medium ad poſtremum: aliam primum ad medium. Medium nanque in alterum quidẽ extremum uim agendi obtinebit: alteri autem, nec aliquid tribuet, nec quicquam ab eo patietur. At ſi utrumque inter extrema ſit interiectum, quod unum alteri tribuit: idem tertium quarto proportione reddet. Pulcherrima quoq; ea eſt ratio, quæ à Doctiſſimo CONTARENO adducitur, quæque ducta eſt ex Elementorum motu.

„ Corpus (inquit) unum eſt ſimplex. quod etiam ap-
„ pellamus Elementum, quod ad medium fertur; alte-
„ rum à medio ad circumferentiam tendit. Prius om-
„ nino et ſimpliciter graue eſt, poſterius omnino et
„ ſimpliciter leue, terra ſcilicet, et ignis. Verùm quo-
„ niam natura, quantum fieri potuit, conata eſt etiam
„ in diuerſis, et contrariis generibus referre unitatem;
„ miroque artificio omnia ita inuicem colligauit, ut
„ poſtremum ſuperioris generis maximè propinquum
„ ſit ſupremo generis inferioris: ut hac ratione uniuer-
„ ſa entia indiuiſa inter ſe quodammodo eſſent, et unã

ſpeciem Vniuerſi facerent. Neceſſe ergo fuit ad Mun
di unius conſtitutionem,ut hæc duo extrema Elemen
ta, graue inquam ſimpliciter, et leue ſimpliciter me-
dio quodam uincirentur. huiusmodi uerò medium,
unum tantùm eſſe non potuit. Nam locus unius cor
poris medii, qui ei natura deberetur, nimirum me-
dius eſſet inter centrum,et circunferentiam æquè in-
ter ea extrema medius. Hoc ergo medium corpus ab-
ſolutè dici non poſſet, quod natura tenderet ad me-
dium, neque natura recederet à medio: ſed utetque
horum motuum,pari,et æqua ratione ei corpori con-
ueniret,et ab eodem negari poſſet. Nam cum natura
moueretur ad locum hunc medium æquo diſtantem
interuallo ab illorum utroque,circunferentia ſcilicet,
et centro, utique locus ille non magis pertineret ad
medium, quàm ad circunferentiam attineret. Motus
ergo huius corporis ſimplicis recti ad neutram ſpecië
motus recti referri poſſet; ac propterea uerè, ac pro-
priè motus rectus nequiret eſſe. Omnis nanque mo-
tus rectus, uel eſt ad medium,uel à medio: neque dici
poſſet abſolutè aut graue,aut leue. Quamobrem effi-
citur, ſi recti motus naturam ſeruare uoluerimus in
quolibet ſimplici corpore recto; ut unum tantũ me-
dium eſſe nequeat inter ignem,et terram. Erunt ergo
duo media, quorum utrumque graue eſt, et leue:
utrumque et à medio,et ad medium mouetur:abſolu
tè tamen alterum eorum leue eſt, et ſecundùm quid
graue: Item abſolutè mouetur à medio, et ſecundùm
quid ad medium tendit. Alterum uerò abſolutè eſt
graue, et ſecundùm quid leue: Item abſolutè moue-
tur ad medium,et ſecundùm quid mouetur à medio:

quod

» quod in uno tantùm medio inter extrema dici nō po-
» test; ut modò ostendimus. Duo igitur necesse est esse
» media Elementa; si natura, definitiovè motus simpli-
» cis recti est accommodanda mediis Elementis. Quin-
» tum uerò Elemētum inter quatuor hæc medium esse
» nequit eadem de causa, qua unum tantùm tertium
» diximus esse non posse. Nam quinto huic medio mo-
» tus rectus nullus accommodari posset, neque absolu-
» tè graue esset, neque absolutè leue; si grauitas, et le-
» uitas in eo essent pares. Plura uerò quàm quinque si
» quis fingere uellet: iam sensu ipso conuinceretur lon
» gè falli, et tota (ut aiunt) errare uia. Hæc ille.

Cùm itaque quatuor sint corpora, à quibus Mundus corpus unum est effectus, Natura ita igni aerem; aeri aquam, aquæ terram admirabili quadam proportione iunxit; ut ob similes, atque dissimiles qualitates, quas obtinent; discordi quadam concordia se se arctè complecterentur. Vnde et eorum conseruationi, et rerum generationi; in quorum utrunque usum comparata sunt, pulcherrimè prouisum est. Quod, et cecinit Boetius.

Tu numeris Elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondera terras.

Ex his efficitur quatuor esse Mundi corpora, ignis, aer, aqua, terra: ineptéque quosdam ignem sustulisse, quia nec cerneretur à nobis, nec in eo ullum degeret animal. Non enim à nobis non uidetur, quia non sit; sed quia non lucet. Non lucet autem, quo-

niam

niam, et rarior est, et ab omni humore secretus. Lucet uerò cùm humori iungitur: quoniam et plenior fit, et accenditur. Animalia quoque, et si nulla sint in igne, cùm in tanta siccitate, nec uiuere, nec nutriri possint, (quod enim de Salamandra dicitur fabulosum uidetur) argumento non sunt, ignem non esse. Sat nanq; est ut concurrat ad eorum compositionem.

NICOLAI CONTARENI
IOANNIS GABRIELIS FILII
PATRITII VENETI.

De Homine. Liber Sextus.

AD VIRVM AMPLISSIMVM Leonardum Donatum.

De Hominis productione. Cap. I.

DIVINAM Naturam, diuinarumq; perfectionum quasdam, easque præstantes imagines conspicati: in nostram perfectionem oculos conuertamus.

Nos quoque pars Mundi, quoniam non corpora solùm,
Verùm etiam uolucres animæ sumus.

Quamuis autem, et in omnibus aliis animantibus diuinitatis quædam uestigia cernantur, quæ partes aliquas uniuersæ illius perfectionis, quam nos conquirimus, prodere possint: tamen cùm ea ab Aristotele summa cura, et studio tractata sint, neq; cum nostris, iis de rebus, ulla sit grauis dissensio: prætereunda hoc tem-

tempore mihi uidentur. Præsertim cùm et illæ omnes perfectiones in Hominis natura concludantur. Quocirca neque hæc omnino relinquemus: sed, et multa commouebimus, quæ et præstantiora sint, et ad Hominis considerationem, cognitionemque pertineant.

In primis autem in eam animi partem mentem intendere, et defigere nos oportet, qua Homines bestiis præstant, quaque ad Dei uim propius uidentur accedere. Sic enim optimè fiet, ut nos ipsos primũ agnoscamus. quo nihil optatius Homini contingere potest. Mox excellentem, et præclarissimam Dei imaginem mortalium mentibus impressam exploremus. Ex quibus nobis illa existet cognitio, quẽadmodum Dei imitatores fieri possimus. Nostras enim uires, nostrumque captum animaduertentes, quę nobis amplectenda sint, quæque fugienda præstituemus. Eamque deligere poterimus animi prouisionem, qua bona consectemur, et ad nos ipsos transferamus. Principiò in Hominis multiplici, uariaque natura, multa diuini Numinis uestigia consignata, et quasi insculpta cernuntur. Etenim in ipso acris quædam intelligẽdi uis, excellensque memoria uiget. ex qua Prouidentia, Cõsilium, Solertia, Sagacitas, Diligentia, Sermo existit. Insunt quoque sentiendi, alendique uires. ex quibus uarietas illa uitarum effluxit. Qua Homo, et plantarum, et brutorum animantium, et cœlestium uitas exequat. Animus autem undique corpore cinctus est. In cuius coagmentationem omnes corporeæ perfectiones conuenerunt. Inde caducorum, et diuinorũ nexus est effectus: atque Vniuersi compendium, naturæque miraculum appellatus. In eo quoque sanctũ

Præcipuæ hominis naturales perfectiones.

MM 2 hoc

hoc animal, Homo, admirabile uidetur; quod illud natura erexit, atque ad Cœli conſpectum excitauit.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os Homini ſublime dedit, cœlumque tueri.
Iuſsit, et erectos ad ſidera tollere uultus.

Quæ omnia etſi mihi præclara, et diuina uideantur. exiſtimo tamen in Homine reconditiora, melioraque latere, quæ à ſapientibus duntaxat animaduerſa, fugiunt indoctos. Itaque ut ordinata noſtra ſit oratio, Vniuerſam illam perfectionem, quæ in Homine eſt incluſa, explicabimus. Vnde ea, quæ diſperſa, et penè infinita uidentur, ratione, et diſtributione conſtricta ſub uno aſpectu ponamus. A cauſis exordiamur. quæramusq; primùm, quænā fuerit uis illa, quæ tam pulchrum formauit animal. mox quæ cauſa eam ad id efficiendū impulit. tum quē ad finē illum effecerit: quæque inſtrumenta dederit ad eū conſequendū.

Animi unde extiterunt. Academicorū opinio.

Academici animos duntaxat Homines eſſe exiſtimantes; illos ex æternitate manare à Deo putant. Corpora uerò omnia, quòd mortalia ſint, non ab ipſo, à quo nihil niſi immortale effici poſſe cenſent; ſed à quibuſdam Diis minoribus, qui nonnullis iidem uidentur animi; conſtrui, moliríque faciunt. In primisque Cœlo ab his conſtituto, Deus (aiunt) ſideribus parem numerum diſtribuit animorum, et ſingulos adiunxit ad ſingula. Atque hoc diuinum, et cœleſte eſt animalium genus. poſt autem alios innumerabiles procreauit animos. Quos et in cæleſtes ſparſit ſphæras; et in totum Cœlum effudit: ut præſtò eſ-

ſent

ſent ad deſcendendum in corpora, cùm à Neceſſitatis Dea euocarentur. Hæc illi. Ipſe equidem, etſi intelligam Hominem à Deo primum procreatum: à pleriſque tamen, quæ ab iſtis dicũtur, longè diſſentio. Etenim animi cùm corpora informent, non ſolùm ex æternitate non extiterunt; ſed ne temporis quidem puncto corporum effectiones antecedunt. Cùm autem minoribus Diis corporum molitiones adiudicāt, quòd Deus nihil, niſi immortale efficere poſſit, multas hoc graues incurrit reprehenſiones. Etenim cùm horum Deorum naturæ, atque uires definitæ ſint, corpora de nihilo efficere non poſſunt. Requiritur nanque in procreandis rebus ius infinita, ut oſtendimus ántea. quam ſolus obtinet Deus. Sin autem ea non procreant Dii, ſed ex ſubiecta exprimũt materia, quomodo formæ illæ, quæ in corporibus inſunt, gignantur, non uideo. Non poſſunt enim formæ exiſtere è materia, niſi à ſimili forma, quæ ſit in materia, eliciantur. Animi autem neque ſimiles ſunt corporum formis, neque in materia conſident. In altero quoque dum rerum immortalium effectorem, et auctorẽ Deum eſſe negant, quòd omnibus immortalitatem daret, multa peccant. Poteſt enim Deus cùm liberè agat, ita uim ſuam moderari, et temperare, ut quæcunque uoluerit mortalia, et immortalia gignat.

Contra Academicos.

Peripatetici autem cùm mundum æternum faciāt; infinitos Homines antè nos uixiſſe dicunt: ea ſerie colligatos, ut ſemper alius ex alio extiterit. Verùm ſi omnis mundus à Deo effluxit, quod ſatis ut arbitror oſtendimus antea; cunctas omnium animalium ſpecies ab eodem generatas eſſe, neceſſe eſt. Igitur et Homi-

Peripateticorum opinio.

Cõtra Peripateticos.

mi-

minem aliquẽ à Deo productum esse oportet, ex quó orti sint alii. Sed concedamus etiam illis, et mundũ semper fuisse; et innumerabiles antea Homines uitã egisse: negare tamen non poterunt, unum ex illis aliquem, qui reliquos anteierit, à Deo procreatum. Quamuis enim in infinito nihil propriè sit primum, nihil extremum, nihil medium: et primi tamen, et medii, et extremi quædã cernitur similitudo. Quod in ea re, quæ nunc agitur, apertè declaratur. Mente nanque Hominem concipio, qui innumerabilibus seculis à nobis disiungatur; atque inter nos, et illum, infiniti Homines, qui iam interierint, sint interiecti: profectò iste à nullo alio Homine generatus erit. Quomodo enim ex infinito tempore à nobis abesset? Etenim si ab alio genitus est, nec ille à nobis distat infinitè; nec tempus. Quoniam illum et alius Homo, et tempus antecedit. Hic itaque qui infinito à nobis disiungitur temporis interuallo, quæro unde erupit?

Sin autẽ nullus Hominum à nobis infinitè distat, sed finitè omnes: definita igitur series Hominum antecessit. Intelligi nanque non potest, ante nos fuisse infinitos Homines, et nos ab eorum singulis distare finitè. Ad alias necesse est confugere causas efficientes. Cùm enim nefas sit, Homines alios ex aliis semper pendere; necesse est à Deo in ipso mundi ortu aliquem effectum esse, à quo reliqui in lucem prodierint. Quam sententiam et diuina eloquia nobis significauerũt. quæ die sexta ab ortu mundi, Hominem construi à Deo faciunt. Ex his efficitur inter Homines primum aliquem fuisse communem omnium parentem, cuius auctorem Deum agnoscimus.

Sequi-

Sequitur, ut quem ad finē illum procreauerit uidea mus. Qua in re duo exquiri fines uidentur. procreationis alter, qui efficientem mouit,ut Hominem moliretur. alter uerò procreati Hominis. quæ est perfectio, et fælicitas illius extrema. Itaque à primo exordiamur. Homo cùm nondum esset, ad sui procreationem nec impulit Deum; nec si fuisset,illum mouere poterat. à nullo nanque pellitur Diuinum Numen. sed se ipsum admirabili, et inexplicabili quadam ratione incitatur. Cuius impulsionis causa est Bonitas,et Fæcunditas diuinæ Naturæ. quæ illum adduxit ad suas perfectiones cum mundo communicandas. Etenim cùm reliquas Mundi partes procreasset Deus. Quę cā Deū impulerit vt hominē gigneret.

Sanctius his Animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc: & quod dominari in cętera posset.
Natus Homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille Opifex rerum, mundi melioris origo.

Hæc gignendi Hominis causa iustissima. Itaque cum bonus sit hic mundi artifex, Hominem quoque et bonum effecit, et admirabilem quandam propensionem in eius animo consignauit; qua tenderet ad bonum. In se itaque, et à se primū mouetur Deus ad procreandum Hominem. deinde ad se reflectit immensam illam pietatem, quā exercuit in illo gignēdo.

Sed procreati iam Hominis,atque emergētis multi à nonnullis numerantur fines. Nam,et ut diuina cognoscerentur. et, ut uinculum quoddam esset,et nodus, qui mortalia, et diuina colligaret. Tum, ut aliquid esset optimum, ac nobilissimum, quod imperaret Quē ad finē natus sit Homo. Quorū dam sentētia.

raret cæteris. Postremò, ut omne cogitandi munus impleretur. essetque animal aliquod in mũdo fallax. Bruta enim animantia fallacia esse non poterant, ob stultitiam, et stupiditatem. superi uerò ob probitatem. Hominum autem ingenia ad fallendum parata. Inde triplex ducunt Hominum genus. Diuinum: qđ nec decipere, nec decipi potest. Ferinum, quod non circumuenit; sed hallucinatur. Quod uerò fallit, et falitur, Humanum genus est. His aliud Academicorum commentum adiicere possumus. Nam Plato in legum libris, hoc primum dubitare uisus est. Res nè seria Homo esset: an per iocum, et ad ludũ à Diis facta? Quam sententiam dum exponerent aliqui, admirabile hoc Mundi theatrum ludicram scenam fecerunt. Homines Histriones. qui corporibus obducti, tanquam personati: tum comicas propter nonnullam lætitiæ speciem; tum tragicas propter lamentabiles casus texerent fabulas, Diisque spectandas exhiberent, quibus illi mirificè delectarentur. Sed in impiam fabulam non inelegans ratio inclusa est: si nostrarum comœdiarum, et tragœdiarum Homines, non superos spectatores admittamus. Neque enim nostra intuetur Deus, ut ex illis uoluptatem aliquam, uel dolorem capiat: sed ut in impios animaduertat, et eorum facinora, et scelera ulciscatur, beneque de ipso merentes præmiis afficiat. Sed eò reuertamur unde digressi sumus. Hominis extremum bonum Diuinum est Numen. quod si uerum est, profectò natus est ad Deum contemplandum, et amandum. His enim modis finem ultimum, summamque perfectionem nanciscitur. Non igitur effectus est, ut esset in

Homo quibusdã Academicis natus è ad fabulas Diis exhibẽdas.

Verus Finis ad quẽ nati sumus.

mundo

mundo aliquis, qui animalium principatum teneret. Equidem fateor magnũ fuisse beneficium, quod Deus Homini tribuit, ut dominaretur omnibus. sed nec istud illi præfinitum est bonum: nec perducit ad Deũ. Ea quoque potestas, lege diuina ab Homine uiolata; ualde imminuta est, ut illius ullum uestigium uix remanserit. Imperium enim sine seruitute, et obedientia constare non potest. At irruunt sæpissimè in Homines feræ, dilacerant, discerpunt nonnunquam. Ipsæ uerò ui, dolis, machinationibus, fallaciisque Hominum intercipiuntur, atque necantur. Illa quoque ratio, quæ à fallacia ducitur inanis futilisque est. Neque enim tanti fuit facienda fraus, ut animal Deus procrearet uersutum, ad aliaque fallenda paratum. Omnes enim fallaciæ, doli, machinæ, simulationes, mendacia, præstigiæ malæ sunt. Nullus uerò finis malus. Quomodo igitur ad malum, bonum est institutum? Non erit igitur Finis Hominis fallacia. sed aut uirtus, aut aliquid uirtute comparandum, hæc nos ad Deum reducit. *Bestiæ* quoque non adeo stolidæ sunt, ut aliis animalibus, atque ipsis etiam Hominibus insidias non tendant. quod de Vulpe, de Tarantula, de multis aliis proditum est. Itaque fallacia cum feritate potius coniungenda fuit. Feræ nanque magis ab integritate, probitateque discedunt. Homo autem si incorruptus, probusq; sit, neque fallit, neque simulat quicquam. Sed cùm similem se Deo reddere conetur, dolos, fraudes, mendacia fugit. Qui autem à uirtute, et integritate recedentes incurrunt in uitia: ut cupiditates expleant, machinis, dolis, præstigiisque utuntur. Quæ Vita cùm à Deo recedat plurimum,

Alter homi nis Finis.

peior quoque est bestiarum uictu. Reliqua ea est ratio, quæ Hominem iccirco ponit in Mūdo, ut eius munere hæc rerum uniuersitas aptè cohæreat, et continuetur. Quæ respuenda non est. Nam et hic finis est aliquis in bonum cedens uniuersi. Mundi nanque partes, uis intelligens, Cælum, materia, elementa, et corpora illa, quæ mixta dicuntur: tot denique animalium uariæ formæ: etsi aliquo modo inter se iungerentur, arctius tamen uinculum exquirunt, et quasi nodum desiderant, qui ipsa astringat, et quàm maximè unum efficiat. Quæ omnia in Homine tanquam in compendio quodam uniuersi sunt conclusa. In ipso enim rerum omnium mortalium formæ, ab ima materia ad ipsam usque phātasiam arctè colligantur. Hæc uerò sub Ratione posita est. Ratio autem ex omnibus eminens, hunc paruum Mundum concludit. Quæ item Angelis iungitur. illi autem propius ad diuinam uim accedunt. Hi sunt fines, ad quos Hominem Deus effinxit. Verùm non solùm illi præstantissimam, et intelligentem uim dedit, qua cuncta animantia anteiret; sed mirificis illum muneribus cumulauit. quibus et rerū omnium assequeretur cognitionem, et Deum agnosceret, et singulari quodam amore prosequeretur. Mundi etiam Princeps constitutus, atque in delitiis affluenti horto, tanquàm in regia collocatus. ubi immortalitate corporis donatus, ab omni cura liber, et uacuus, cum Deo colloquendo fælicissimè uitam traducebat. Diuina autem lege contempta in propriam recidit naturam, et quod illi naturale futurum antea fuerat, in pœnam deinde est commutatum. Quo lapsu gratiarum omnium iactu-

iacturam fecit, atque in corporis mortalitaté, et animi ignorationem incurrit.

De Hominis natura. Cap. II.

DICTVM est de Hominis ortu, dictum est etiam de Finibus, ad quos à Natura est procreatus. Restat, ut postquàm illis eximiis animi corporisque uirtutibus primi nostri progenitoris culpa spoliati sumus, illam consideremus perfectionem, quæ Homini relicta est.

In qua quæstione primùm illud inquirendum uidetur, quid sit Homo. Hoc enim maximè in causa uersatur; atque ex eo loco pleraque alia ducuntur, quæ ad Hominis agnitionem pulcherrima sunt, et necessaria. Quæque nisi constanti ratione fuerint firmata, in maximam nostri ipsius ignorationem incidamus necesse est. Præcipuus autem quæstionis cardo, in quo omnes philosophorum sententiæ uersantur; in uinculo illo, quo anima coniungitur corpori, quale sit inquirendo, et indagando consistunt. Multi enim cùm nullam ferè cernant inter mortalia et immortalia naturæ cognationem, extimescunt, ne si immortalem animum ad mortale adiunxerint corpus: illud ipsi efficiant, quod ne præstare quidem posset natura. Ex horum numero sunt Academici, quos audiemus postea. Nunc autem ita exordiamur. Hominem nõ esse corpus inde perspicuum est, quod eo nos tanquam instrumento ad plerasque munerum Homo non est corpus.

functiones obeundas utamur. Quomodo enim si ii sumus, qui corpore utimur, corpus erit homo? Vis enim efficiens, et instrumentum, quod illa ad operandum asciscit, internoscuntur, et distinguuntur: Anima quoque illa, quæ omnino corpori addicta est: atque illud, quod ex illa corporeque concrescit, à uera natura Hominis est ualdè remotum. Ea nanque Vita nobis cum brutis animantibus est communis. Cui et ratio, quæ in nobis uiget, nostraque est, dominatur et imperat. Frequenter etiam cum illa pugnat, modoque illam subigit, et uincit: modò ipsa expugnatur, et uincitur. qua in contentione quædam cernitur naturæ discrepantia, et discensio. At nihil est, quod sibi ipsi repugnet, et aduersetur. Quare si anima rationis expers rationi obsistit, non erit Homo. Sequitur tertia illa coagmentatio, quæ est ex Ratione, et corpore sensibus informato. Hanc respuunt Academici; hominemq; esse negant, quòd ex dissolubili, et indissolubili unum confici nequeat. Vnde ulterius prouecti, Hominem dicunt esse animam. i. naturam incorpoream rationalem ex diuina mente ortam, in se ipsa consistentem. quæ corpori quidem assistat; sed illud non informat. Eandem ubi corpori adfuerit, secundam quandam uitam gignere, quæ animatio potius sit, quàm anima, atque illa, et informari corpora, et animari censent. Illud autem quod ex animatione, et corpore conflatur, humanum appellant animal. Pergunt iidem, atque hanc rem explicāt fusius. Constituunt primùm tria formarum genera. inferas, medias, superas. Inferæ illæ sunt, quæ et naturales dicuntur. Has aiunt, et afficere materiā, et eandem informare.

Academicorum sententia de natura Hominis.

Anima secunda ex Academicorum sententia.

formare. Illique tam arctè iungi; ut nihil pati possit materia, quin patiantur formæ. Superæ uerò diuinæ sunt Ideæ, atque exemplaria rerum, quæ in prima uigent Mente, quæque ab omni materia segregatæ, nullam cum illa habent cognationem. Inter has ueluti interiecti sunt omnes animi rationales. quòd adsint quidem corporibus; in ipsis tamen non insunt. Nam si inessent, uel nullam tribuerent uitam, uel certè obscurissimam. Paterentur enim unà cum corpore, si illud informarent. In qua perpessione, et uires hebetari, et infringi necesse est. Hæ uerò fractæ, quomodo animare poterunt? Eandem uerò corpori adesse oportet naturali Prouidentiæ lege, et Fato astrictam. Eo enim impellente corpus amat, et animat, idest secundam parit uitam corpori inhærentem. Quæ uita ab Animo tali quodammodo exprimitur. Ferax est primæ animæ substantia. tres quoque illius uires: Mens, Ratio, Opinio, fœcundæ. Ex hac et altera uita, et eius uires exoriuntur. Etenim à Mente Ratio emanat, à Ratione Opinio. Ex his autem, et alterius animæ essentia, et uires ducuntur. nimirum: Interior sensus, quæ Phantasia quædam confusa est, sensus Exteriores. Natura idest uis gignendi. Phantasia Mentem refert. sensus exterior Rationem. Natura opinionem. Phantasia autem hæc confusa, ab opinione internoscitur, ut una superior sit inferior. Superior autem res singulares cognoscit, licèt obscurè: obtēperareq; rationi potest. Inferior uerò ea solū perspicit, quæ diiudicant sensus. Ex Phantasia autem, et corpore nō Homo, sed humanū concrescit animal. Hæc est ab Academicis defensa, retentaque opinio.

Cui

Quorũdam Peripateticorum sentẽtia de Hominis natura.

Cui proxima est quorundam Peripateticorum sententia. qui illam ita explicant, ut cum Academicis in quibusdã congruant, dissentiant in aliis. Principiò Mentem solùm assidere dicunt. nihilque aliud nobis præstare, nisi intelligentiam. Vitam autem corporis nec esse, nec infundere, aut alio generare modo. sed inesse in corpore Phantasiam ex materia expressam, quæ illud informet: paulò illa excelsior, quæ uiget in bestiis; sed et ipsa mortalis, et caduca. Hæc (aiunt) propria nostra forma est. cum qua Mens in ortu coniungitur. Ex quibus duo compositorum genera concludunt. Alterum quod ex Phantasia constet, et corpore. quod mihi brutum potius, quàm humanum animal esse uidetur. Diuiniùs alterum, quod ex mente, et Phantasia concrescat. Ita illi, et de Homine, et de humano iudicant animali. Quæ an uera sint diligenter à nobis sunt expendenda. Res enim digna est, de qua quæratur, et Homines digni, quibus cum disseratur.

Disputatio contra Academicos.

Agam itaque primum contra Academicos. Nam, et de Ideis, et de fœcunditate primæ animæ, et de eius uiribus; deque secunda anima, atque de illius generatione multa commouent, quæ à ueritate desciscere uidentur. Ideæ enim cùm ad scientiam, et rerum generationem adhibeantur: non erunt, nisi in mundi Opifice, qui hanc rerum Vniuersitatem procreauit. Mens autem illa Diuina segregata à Deo, in qua rerum omnium ideæ reluceant, nec ulla est, nec mundum moliri potuit. Nam de nihilo illum efficere nõ potuit. quia requiritur uis infinita, qua Mens ista caret. quomodo igitur animi, quomodo Dæmones ex ea extiterunt? Quòd si non sunt ab illa procreati, quænam Ideæ horum

rum

rum possunt inesse in hac prima mente? Reliquæ etiam formæ, cùm ex materia, oriuntur uim efficientē aliquam requirunt, quæ sit in materia. Hæc autem quomodo est illi consignata? si procreata, in idem recidimus, quod reiecimus antea. si ex materia expressa, non ab Ideis, quæ formæ sunt separatæ: sed ab alia, et quidem simili, quæ et materiam præparet, expressā esse, necesse est. Sed de Ideis alio loco à nobis disputatum est satis. Fæcunditas autem, quæ potest animæ congruere? Etenim si ulla est, cur non generat sui similem? Ex Mente ducunt Phantasiam. quodnam est hoc portentum? Phantasia iterū refert Mentem. Quæ hæc est similitudo? Ratio etiam quomodo gignit exteriores sensus? Quomodo Phantasia superior Naturam producit? Inter hæc mihi summa uidetur disparitas, summa dissimilitudo. Sed concedamus illis fieri hæc posse à prima anima, exponant modum, quo hæc illa moliatur? Confugiunt ad exēpla. Quemadmodum inquiunt lux generat lumen. quod si uerum est, secunda anima erit simillima imago primæ. Lumen enim est imago lucis persimilis. Quare intelliget, argumentabitur, opinabitur. Deinde lumen abscedente à nobis Sole euanescit. Quomodo igitur abeunte anima imago illa non delebitur? At illi nihil usquam uitæ perire censent. Quòd uita sit æternitatis .i. primæ intelligentiæ, quidam splendor, atque indissolubile uinculum vniuersi. Quocirca ad illud recurrunt; uitamque illam secundam dicunt esse, actum quendam animæ primæ. Quem actum ab animæ præsentia permanare ad corpus faciunt. ita ut, et imago quædam primæ uitæ euadat, et corpori uitā

tri-

tribuat. Quando uerò hinc abit anima non perire actum illum, sed uegetum, et perennem esse: deleri tamen imaginem. Non secus ac simulachrum in speculo à facie impressum, illa discedente euanescit. Restat tamen actus in uultu, vigorque emicans, atque ad imaginem efficiendam efficax. Sed quæro ab illis, quid nam sit hic actus animæ. Vtrum proprietas quædam ab ipsa sponte effluens: an actio ab intellectu, ratione, uel opinione proficiscens? si illũ, actionem animæ esse dicunt: intelligere, ratiocinari, opinari, actiones quidem sunt: sed quæ non exeant extra suas causas. Quomodo igitur producetur ille actus ad corpus? Sin autem proprietatem aliquam esse respondeant: scitor utrum ipsamet hæc proprietas porrigatur ad totum corpus; eoque modo fiat imago, et rursus abeunte anima ad se ipsam reuertatur? Sed neque id dicunt, neque dicere possunt. esset enim proprietas corporea, et modò in amplum diduceretur, modò contraheretur ad punctum indiuiduum. Si itaque aliquo modo, hæc proprietas generare potest imaginem in corpore: profectò id eueniet, aut quia sui similem exprimit ex materia; aut quoniam tanquam Sol quidam sui præsentia lumen generans, imaginem illam in corpus effundat. in qua generatione nihil exprimatur ex materia, nihil à generante discedat. sed ex sola præsentia existat imago. quæ à præparato corpore tanquam lumen ab opaco terminetur. Ex quo etiam illud sequetur, quod ipsi dicunt: abscedente anima, et imaginem illam deleri, et actum conseruari, quoniã conseruatur anima. Sed si ita sentiunt, exponant etiã, unde ea dissimilitudo secundæ uitæ cũ prima effluxit;

Ima-

imago enim etsi naturam diuersam, ab eo cuius est imago, consequatur: similitudinem tamen retinet, indeque, et simulachrum, et imago nominatur. At quæ similitudo est, inter Phantasiam, et Mentem? quæ comparatio rationis cum sensu? quæ collatio opinionis cum natura? Imaginum quoque genus cum debile sit, et infirmum, quomodo animare corpora potest? Animatio nanque, uim quandam imagine acriorem requirere uidetur. Deinde si ut ipsi aiunt, neque prima anima peccat, neque punitur: sed in secundam uitam, et peccatum cadit, et pæna: quæro quomodo improborum scelera, atq; facinora uindicabuntur? Imago enim suppliciis affici nō pōt. Periit enim in animæ à corpore discessu. Actus autem ille, qui fons illius imaginis est, nec angi, nec torqueri pōt: nisi natura ipsa crucietur. At quæ Iustitia Animum insontem puniet? certè Iustitia cum iniustitia implicabitur. Sed iam missa isthæc faciamus. Fabulosa enim uidentur esse, et ad delectandum inuenta.

Illud inquiramus, quod rem totam continere uidetur: assideat ne anima corpori, an illud informet. Academicos iterum compello; si præest tantùm anima corpori, atque ab illo nec detinetur, nec impeditur, quin aliò proficisci possit: cur corpore contēpto ab illo non discedit; in easque oras non migrat, quas beatæ incolunt animæ? Dū enim est in corpore, multa patitur mala. illudque in primis, quod diuinam quandam, et fælicem uitam, in miseram commutat. Ante enim quàm corpus intraret, innumerabilium rerum cognitione uigebat. Vbi autem in tā insolitum, tamque perturbatū domicilium immigrauit; fractis

Vtrum animus assistat corpori an illud informet. Disputatio contra Academicos.

alis, quibus ad Dei usque cognitionem subleuabatur; incurrit primùm in rerum omnium obliuionem. Deinde in corpore, tanquam in carcere obscurissimo, ætatem miserè degit. Nunquam se colligit, aut recreat. Hæc ingentia sunt mala. cur igitur illa non fugit? cur amat? cur eligit? Diligit enim concretionē cum corpore. ex qua hæ illi calamitates existūt. A Fato ne, ut ipsi fingunt, cum magno strepitu, horribilique terræ motu in corpus impelluntur animi: ibique alligantur, et diuinciuntur, Fato incumbente, et instante? Sed hæc fatalis uis, aut mortalis est, aut Diuina. Si mortalis q̄uo immortali animo legē p̄scribit? Si uerò Numen aliquod est, quod eos urget, in corporaque impellit. cur inuidet eorum tranquillitati? Neque enim id efficit maioris boni gratia. nempè, ut et corporibus uitam tribuant, et hæc rerum Vniuersitas suis omnibus numeris expleatur. Potius nanque ex eo confusio sequitur, et mundi perturbatio. Animi enim multis partibus corporibus præstant. Natura uerò non patitur, ut quod perfectius est, suā amittat perfectionem, ignobilioris gratia. Non erant itaque Fælicitate spoliandi animi, ut corporibus uitam afferrēt. Vniuersi quoque ordo, sine animorum ad corpora appulsu conseruari pulcherrimè potest. Animi enim nihil aliud corpori tribuunt, ut ipsi sentiunt, nisi uitæ illud simulachrum, quod à prima gignitur uita. Hoc autem, et commodiùs, et faciliùs præstari poterat ab Anima Mundi. Quæ per Vniuersum intenta omnibus (ut dicunt) præstò est. Sed ad Auerroem ueniamus. qui cùm intelligere non posset animam, et immortalem esse, et informare corpora: ut illi immortali-

Disputatio cōtra Auerroem.

talitatem conferuet, eam facit aſſiſtentem. In quo non ſolùm à ueritate, ſed ab Ariſtotele diſciuit plurimum. Ariſtoteles nanque in libris de Anima, multas profert ſententias; quibus nobis apertè ſignificat, mētem ſe ſtatuere, nō quæ aſſiſtat, ſed quæ, et corpus informet, et unà cum ipſo Hominem conſtituat. Recenſebo aliquas.

Homo (inquit) et intelligit, et diſcit non anima. " quod ueriſſimè dicitur. At ſi mens non eſt pars Hominis, quomodo Homo intelligit? alioquin, cur, et nauim intelligere, et ſentire non dicamus, quia illius gubernator intelligit, et ſentit, non uideo. Quod ſi ad eminentem Hominē confugiat Auerroes, qui ex Mente, Phantaſiaque concreſcit: quare utrum illa intelle- " ctio percipiatur ab Homine corporeo, ideſt ex corpore, et phantaſia conſtante uel non. Si non pertinet ad nos, quomodo intelligentiam experimur? Nos ueri Homines ſumus: nos quoque intelligimus. At dum dicimus nos eſſe Homines, nihil dicimus, quod nobis aſſideat tantùm: ſed quod et noſtrum ſit, et nos ipſos conſtituat. ſi uerò eam intellectionem, et nos attingere dicant, et noſtram eſſe, ut uerè eſt. id nulla fieri ratione poteſt, niſi mens ſit altera pars noſtri, quæ informet corpus. Nam ſi aſſideat tantùm; cùm intellectio remaneat in intelligēte, manebit illa actio in intellectu. ſi itaque non eſt altera pars noſtri intellectus, quomodo animaduertetur à nobis illa intellectio, quid ſcilicet ſit, quomodoque ab intellectu fiat? Munus nanque noſtræ phantaſiæ eſt, eas, quas cernit rerum imagines, repræſentare menti, tanquam in ſpeculo. Quomodo autem in iis uerſetur mens nullo

modo uidet. Intelligeret enim et ipsa: si perciperet intellectionem. Illud tantùm noscere poterit, quid obiiciat menti. Quæ uerò Mens ipsa molitur, eam latere necessè. Quare si ad nullam nostri partem pertinet intellectio, non intelliget Homo. Definit deinde Aristoteles Animam esse entelechiam corporis. Quæ definitio communis est, et omnes complectitur
" animas. Cùm idem postea eam, quam prius dederat, definitionem demonstrans, animã dicat esse principium, et causam, qua uiuimus, sentimus, et intelligimus. Entelechiam autem intelligit, non quæ assistat, sed quæ informet. Etenim inquit animam nec esse materiam, nec corpus, sed formam.

" Secundum quam iam dicitur hoc aliquid.

Sed per formam, quæ assistit nihil dicitur hoc aliquid, nihil est singulare, et indiuiduum. Neque enim gubernator est in causa, ut hæc nauis sit nauis, et singularis. Quam sentẽtiam luculentius etiam illis uerbis declarat.

" Vnde non oportet quærere si unum est anima, et
" corpus: sicut neque ceram, neque figurã, neq; omnino
" uniuscuiusq; materiam, et id cuius materia. Vnũ.n. et
" esse, cũ multipliciter dicatur, quod propriè actus est.

Si mens assistit quomodo fiet unum ex illa, et corpore? Deinde assistit ne figura ceræ? Sed cùm rem conclusam apertè cognoscant, alia uerba Aristotelis iis obiiciunt: ita enim ille,

" Amplius autem immanifestum est, si anima sit cor-
" poris actus, sicut nauta nauis.

Si ipsemet Aristoteles negat quicquam ex iis, quæ prius dixerat, colligi posse, quod nos doceat, assideat

ne

ne anima corpori,an informet: cur uos hanc informationem eo inuito concluditis? Verùm hæc uiderint ipsi. Illud certum est, non quod ipsi dicunt eo in loco sensisse Aristotelem. Dissimulanter enim exposita prius sua sententia; uituperat Academicos. ita enim loquitur:

» Quod igitur nō sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partiri potest, manifestum est. quarundam enim actus partium est ipsarum.

Hæc sua sententia est. Illis uerò quæ sequuntur uerbis coarguit Academicos,

» At uerò quasdam nihil prohibet. propterea quod nullius corporis sunt actus.

Academici enim aiunt animam imaginem quandam, uel animationem potius gignere, quæ uitam tribuat corpori, ipsam uerò corpori assidere. Quamobrem, et assistet, et animabit. Contra quos ita disserit Aristoteles. Anima cùm tantùm assideat, cur à corpore non discedit? beatiorem enim ageret uitam. discedere autem quid prohibet, si uelit? nullius enim corporis est actus. Pergit idem. rectè anima (dicunt) animari corpus, sed an etiam assideat, ut nauta naui, non est manifestum. Hæc est illius loci doctissimorū uirorū uera explicatio. Obiectant quoq; et illa uerba,

» De intellectu aūt, et speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est; sed uidetur genus animæ aliud esse, et hoc solum posse separari, sicut perpetuū à corruptibili.

Perspicuum est ex his verbis Aristotelem nō solùm in immortalitatem animorum propendere: sed etiam negare quidquam de potestate contemplandi, nimirū mortalis ne sit, nec ne, et quod nam genus animæ ex

iis,

iis, quæ antea disputauit, posse comprehendi. Quapropter neque ex animæ diffinitione: neque ex aliis locis, qui hunc antecedunt, aptè colligitur animum corpus informare. illius enim genus constaret. quoniam et ipsemet Aristoteles testatus est nullam corporis entelechiam posse à corpore segregari. Ita illi locum hunc, et peruersè exponunt. Etenim Aristotelem aliò spectare perspicuum est. attingam finem quem prospexit. Hominis intellectus duas habet præcipuas munerum functiones. ex quibus duæ illius notiones extiterunt. Altera est qua corpus informat, hominemque constituit. Quæ notio uim quandam requirit, quæ nos à bestiis seiungat. Eam autem illi ingenerauit Natura: potestatemque dedit discurrendi, ratiocinandique de omnibus, quæ illi obiicerentur. Hæc Animi notio satis antea ab Aristotele declarata; cum in diffinitione, in qua animam appellauit corporis Entelechiam, tum eo in loco, quo illam à corpore separari posse negauit. Altera illius muneris functio est contemplatio, consideratioque naturæ. Ad hanc ipsa inepta est. quod non eius culpa; sed phantasmatis imbecillitate, qua intellectum pulsare non potest, contingit. Quocirca ui aliqua opus erat, quæ phantasmatibus potestatem mouēdi intellectum impertiret. Indeque ad ueritatis contemplationem erecta: cum singulares, tum uniuersales rerum notiones contemplaretur. Ex eo itaque Agente intellectu, atque Diania potestas illa consurgit, quæ ab Aristotele contemplatiua potentia appellatur. Hæc occulta hactenus erat; et quidnam illius genus, esset non constabat. Videtur nanque æternum esse. Quod quomodo

do accipiendum fit, idem tertio libro luculenter sanè de Intellectu agente declarat:

Et hoc solùm (inquit) perpetuum est, et immortale. »
Hæc de Aristotele. Quibus, et illa addenda est ratio, quòd si mens non est uera Hominis forma; Homo bestia erit. Res enim formis distinguuntur. At in omnibus animalibus perfectis, uiget Phātasia: in quibusdam obscuriùs, in aliis autem acriùs. Sed quæ in omnibus solùm habeant uim cogitandi, percipiendique singularium rerum notiones. At excelsior est natura Hominis, et admirabilior. Cuius præstantiam satis (vt opinor) declarat cognitionis Amor. qui solius Hominis proprius, ad nullum aliud animantium genus pertinet. illis enim natura minora quædam bona distribuit. Corporis robur, firmitatem, agilitatem, uirium magnitudinem, cursus celeritatem, acrioresque sentiendi uires. Ipsa uerò ad hominis usum, emolumentum, oblectationem comparauit. Illi uerò tanquā sanctiori cuidam animali, incredibile scientiæ studiū ingenerauit. quo ita omnes tenemur, ut in ipsa extrema pueritia, uel fabulis ipsis audiendis studiosè, et cupidè incumbamus. E pueris quoque illi ingeniosiores, solertioresque habentur, qui et noua uidere, et discere, et multarum rerum cognitionem assequi uehementiùs desiderant. Cumque in quibusdā animantibus uirtutum, honestarumque actionum, nimirum fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, prudentiæ, uestigia quædam cernantur; à ueritatis tamen cupiditate penitus deseruntur. Eandem quoque Hominis nobilitatem, cum immortalitatis appetitio, quam expressimus, hausimusque à natura, tum Dei notitia,

quæ

quæ uni Homini in terris contingit; et à qua erga eundem Deum religio, pietasque effluxit, mirificè confirmat. Hæc nostra sunt, non autem formæ alterius assistentis. Nam si hæc in illa considerent, cùm omnia in intellectione, et uoluntate consistant, neque ad nos permanarent, neque nostram attingerent Phantasiam. Sunt enim actiones intus manentes, ut diximus.

Aduersariorum rõnes. Sed iam ipsos aduersarios audiamus, atque eorum expendamus rationes. Aiunt enim hãc ipsorum opinionẽ, et ueram esse, et ab Aristotele iudicatam. Principiò ex Aristotele sententiam sumunt, mentem non esse principium motus. Ex hac totam rem sic concludunt. Si non est principium motus intellectus, neque etiam corpus informabit. Proprium enim est formæ, si iuncta est materiæ, illam mouere. Verùm ea sententia, quam ad concludendum assumunt, diligentiùs à nobis introspicienda est. Idem enim Aristoteles libro tertio de Anima, ita ait,

» Videntur autem hæc duo mouentia, aut appetitus,
» aut intellectus, si quis imaginationem ponat, ut intel-
» lectionem quandam. Multa enim præter scientias se-
» quuntur imaginationem. Et in aliis animalibus non
» intellectio, aut ratio est, sed imaginatio. Vtraque ergo
» hæc motiua sunt secundum locum intellectus, et ap-
» petitus.

Vim cogitandi, idest Phantasiam, et appetitum motus facit principium. Modum inquiramus: certum est motum à mouendi ui proximè prouenire. Hæc autem nunquam mouet, nisi ab appetitu excitetur. Nihil autem expeti potest, nisi eiusdem præcurrat cognitio. Quærimus igitur quæ cognitio antecedat, quæuè

sub-

ſubſequatur appetitio. Ariſtoteles quòd et bruta animãtia moueri animaduerteret: ad motum efficiendũ eam requirit cognitionem , quæ illis congruat. Hæc autem ea eſt cogitatio, quæ à Phantaſia expletur. Hãc conſtituit ille, cum eo , qui illam cognitionem ſequitur appetitu, proximum principium motus. Cui et nos aſſentimur. Sed hoc poſito, non ſequitur intellectum non eſſe principium motus . Etenim Vis illa intelligens,quæ Hominis propria eſt: et bonum cognoſcit, et eam cognitionem ſequitur cupiditas quædam uoluntatis; quæ uim mouendi excitat, et quaſi ſoluit. Licèt id proximè non exequatur:ob admirabilem illam uirium animi connexionem, et ordinem. in primiſque Phantaſiæ,et Mentis colligationem. neque enim Mens intelligit quin Phantaſia et ipſa excogitet, ſuoque munere fungatur. Iccirco mentem,et uoluntatem motus cauſam facimus,paulò remotiorẽ. Proximã uerò, de qua et Ariſtoteles differebat, ipſam Phantaſiam. ſed neque hæc,nec illa mouet,ſed ſuſcitat ſolùm mouendi uim. Quocirca, etſi animus ſit materiæ iunctus: non mouet intelligendi,aut ſentiendi ui: ſed poteſtate mouendi. Hæc autem ab utraque excitatur. Confugiunt et ad illud. Si mens corpus informaret, multas ab eo cõtraheret affectiones, et qualitates; quibus definiretur ad aliqua obeunda munera. Vt uidemus in ſenſibus. E quibus uiſus, qui nobilior cæteris eſt, qualitate affectus ſolos cernit colores. Auditus,ſonos,et cantus. Sed Mens ad omnia habilis, et apta; ſua ui in omnia peruadit.

At, et Ariſtoteles contendit nulla ſimili qualitate inſignitam eſſe; quæ illam,ſenſuum more,ad aliquod

rerum genus cognoſcendum definiat. ſed omni affectione mentem non ſpoliat. Quia neque omnes impediunt intellectionem: aut imminuunt; aut inſtrumenta requirunt. Quocirca idem in libris de Animalibus ait, quod acriùs intelligunt ii, qui ſanguinem frigidum, et tenuem habent. Inde melancholicos, quia tales ſunt, ingenioſos, ſolerteſque dicit. Illud etiam ſatis eſt uulgatum. Molles carne, mente aptos eſſe. Quòd illa temperatio, quæ ex tenuibus exiſtit humoribus: in primiſque ſanguine ſubtiliori, uehementer intelligentiam iuuet, atque confirmet. Ex his efficitur intelligentem animam, et animare corpus, et informare: alteramque noſtri partem eſſe, qua, et à brutis animantibus diſiungimur, et illis multum præſtamus. Phantaſiam autem cum reliquis animalibus, quemadmodum reliquos ſenſus, communem habet.

Quid ſit animatio. Informatio uerò, et animatio nulla eſt actio animę, ſed ſolùm eius præſentia, atque cum corpore coniunctio.

Cur Anim' corpus amet. Hinc amor ille ſingularis effluxit, quo anima corpus proſequitur. Nam cùm Anima, et corpus partes ſint, quæ Hominem componunt; ſi una ab altera diſiungatur, utrunque diminutum, et imperfectum eſſe, neceſſe eſt. Etenim ſi anima perfecta quædam eſſet natura, nec quæreret communionem cum corpore, nec illam amaret. Deſiderat autem. et illi iungitur. Eamque connexionem tantum amat, ut non niſi ui aliqua depulſa deſerat corpus?

De

De Immortalitate Animorum. Cap. III.

MVLTI sunt, qui mortem omnium malorum extremum esse iudicant. quia cēsent cum corporibus animas simul interire: atque omnia morte deleri. Quorum sententiam graues errores consecuti sunt. Qui non solùm uirtutes omnes, in primisque excellentissimam omnium Iustitiam; qua omnis Hominum cætus continetur: sed etiam religionem, et pietatem erga Deum, non mediocriter labefactarunt. Nam cùm crederent illi, nihil quod ad ipsos pertineat, remanere post mortem: uirtute spreta, et inani illa nominis gloria, quæ solùm in Hominum memoria restabat; et quæ ab ipsis (ut opinabantur) persentienda non erat: totam uitam in luxu, et uoluptate consumpserunt. Sequuti sunt illam ignari, uiles, uoluptuosique Homines: ne futuræ uitæ cogitatio, recordatioque pœnarum, quæ apud inferos improborum flagitiis à Deo sunt constitutæ, Eos aut ab hac uiuendi ratione reuocaret: aut quam in ipsa capiebant uoluptatem, imminueret. Adiuuabat eorum consilium conscientia malæ anteactæ uitæ. Quæ molestissima est: si pœnæ timor aliquis illā perturbet. Quidam etiam Philosophi in eundem incurrerunt errorem: aut animi quadam feritate impulsi, quæ nō sinebat eos illis sententiis assentire, quæ speciē aliquā pietatis, et religionis præseferrent; aut superbia quadam elati, propriaque intelligentia nimium

confiſi, quæ frequenter eos à ueritate auertebat.

Contra quos hæc omnis de Animi immortalitate diſputatio à nobis ſuſcipitur. Quæ, et ad noſtri ipſorum cognitionem pulcherrima eſt; et ad infringendā quorundam improbitatem neceſſariā. Primùm itaq; aliorum ſententiæ nobis ſunt uidendæ. Eorumq; rationes diligenter expendendæ: ut iudicent alii, quid conſtanter ab iis dicatur. Vnaq; multos moneamus; ne tam facile ſeſe Philoſophorum ſententiis addicant. Sed quæ nos, et Deus, et Dei interpretes docuerūt primùm omnibus anteponant. Deinde animum ſoluāt ab affectibus: ab illiſque liberi, et ueritatem inquirant, et rationum momenta conſiderent, ut inueniant ueritatem. Cum Peripateticis autem tota ferè nobis diſputatio futura eſt. Eorum enim Princeps Ariſtoteles negauit immortalitatem animorum. Quam falſitatem, et impietatem tantis tenebris obduxit: ut quibuſdam contra dicere, et animis perpetuitatem tribuere uideatur. Inde in Lyceum magna lis eſt inuecta: multæque ortæ diſſenſiones, cum de re ipſa, tum de ſententia Præceptoris. Nos autem quamuis nulli Philoſophorum ſectæ conſecrati; ueritatē ipſam ſummo ſtudio conquiramus: tamen quoniam multos annos, et Peripateticos audiuimus, et in eorum euoluendis libris diligenter operam dedimus: quid ipſe ſentiat Ariſtoteles, primùm exponemus. Mox quid ipſa nos doceat ratio, atque natura. Ab Ariſtotele ipſo naſcatur exordium. Qui cùm intelligere non poſſet, quomodo cùm orti animi eſſent, aliquando non occiderent: Clariſſimorum Peripateticorum iudicio, omnem illis eripuit æternitatem. Breueque curriculum

Sententia Ariſtotelis de immortalitate Animorum.

culum uita præscripsit, quod in ipso animi à corpore discessu absolueretur. Etenim cùm diuinam potestatem definitam arbitraretur; omnemque rerum procreationem respueret: uerebatur, ne si animis perpetuitatem concederet, hæc, et multa alia fundamenta, quæ in sua iecerat philosophia penitus euerteret.

Etenim si oriuntur animi, nec unquam intereunt, eos non ex materia aliqua subiecta exprimi, sed à Deo procreati intelligebat. Nihilque effici de nihilo posse, quin in efficiente causa infinita insit potestas. Ambo autem hæc negabat Aristoteles. Deinde cùm mundum æternum esse dicat; extitisseque infinitos Homines affirmet, quorum singuli singulos habeant animos; nec quemadmodum Auerroes unum omnibus assidere faciat: si eos sempiternos asseruisset, cogebatur etiam fateri, innumerabiles animos in natura reperiri, quod ipse eidem naturæ repugnare credidit. Nullam quoque formam informare materiam, aut animum animare corpus concedit; quæ ab iis seiungi possit, aut seiuncta per se ipsam subsistere. Nostros autem animos eiusmodi esse iudicauit, ut ostendimus antea. Illud etiam Aristotelem diu torsit. quòd nullam perspiceret animi actionem, quam communem non haberet cum corpore. Indeq; sequi uidebatur. si nihil agit animus, nisi corpus et sensus ad agendum opem tulerint: non posse à corpore segregari, quin sempiterno otio in natura torpescat. quid enim ageret, aut quid moliretur, cùm sine phantasmatibus non intelligat? ea autem in Phantasia considunt, quæ iuncta corpori est. Idem moueri tantùm corpora uult. Quæ uerò corporis sunt

expert-

expertia, eadem immobilia esse dicit. Si animus itaq; discederet à corpore, quò abiret ? quò confugeret ? aut quas incoleret oras ? De motu itaque, de locis, atque Animorum sedibus, de sempiterna uita, de pœnis, de suppliciis nihil ne in ipsa quidem morali philosophia disseruit. Cùm hæc cerneret Aristoteles, ne sibi ipsi repugnaret, quod ea, quæ de Mundo, de Deo, de creatione, de infinitate, de rerum ortu, de motione dixerat, constanter dici arbitraretur: Hanc primùm in animo de Animorum interitu admisit opinionem. Deinde de anima edisserens, eam quoque et breuiter, et obscurè explicauit: ita tamen ut satis appareat hominis impietas. Quamobrem in primo de Anima libro: hanc uiam indagandæ animi immortalitatis ingreditur. Illius (inquit) contemplemur, consideremusque actiones. Ex quibus si aliquæ, ita propriæ fuerint, ut nihil ad ipsas obeundas cõferat corpus animum à corpore segregari, idest remanere post mortem, concludetur. Si uerò omnes, ita utrinsque cõmunes sint: ut, et ad ea exequenda utrũque requiratur, nunquam poterit à corpore separari. Communem autem illam iudicat actionem, quæ aliquo modo à corpore uel impeditur, uel adiuuatur. Ex omnibus autem animi munerum functionibus; reiectis aliis, ut potè, quæ apertè cum corpore communicare uiderentur: unam accipit intellectionem; atque de ea ambigit, sit ne propria animi, an cũ corpore etiam communis. Eam autem ad communes perspicuè reuocare uidetur; et in libris de Animalibus, et in libris de Anima. ait enim actionem illam, quæ pertinet ad scientias (intellectionem intelligit)

sequi

ſequi corporis moderationẽ: in Problematibus quoque ediſſerit: exceſſu caloris, uel frigoris labefactari, et corrumpi Dianœam. multaque uariis in locis commouet de corporum temperatione; qua, et confirmari, et hæbetari uis ipſa intelligendi putat. Non obſcurè etiam illam profert ſententiam: Intellectionem expleri non poſſe, ſine Phantaſia, et phantaſmatibus. Phantaſia autem in corpore conſidet. Sed non me præterit, quoſdam indiſſolubilem quidem à corpore animum concedere: inficiari tamen illum, aut deleri, aut extingui: quòd unus ſit in omnibus. Atque ita illum Hominibus addicunt, ut illis aſſiſtere continẽter faciant. Quod portentum ne ſomniauit quidem Ariſtoteles, ut dicemus ſuo loco. Tertio autem libro de Anima. duos intellectus diſtinguit. Poſſibilem unum, alterum Agẽtem appellat. Poſſibilis Dianœa eſt. quæ noſtra eſt propria. Agens uerò uis quædam excellentior, atque diuinior. cuius naturam ita definit.

» Separabilis eſt immiſtus, impaſſibilis, eius ſubſtantia actio.
» et antea omnia facit. Deinde
» Separatus eſt ſolùm, hoc quod quidem eſt, et hoc ſolum immortale eſt, atque perpetuum mox
» non reminiſcimur, quia hoc quidem impaſſibile eſt.
» Paſſiuus autem intellectus corruptibilis eſt, et ſine hoc nihil intelligit.

Verba hæc ita perturbat, et torquet Auerroes, ut ad diuerſiſſimum ſenſum illa transferat. Sed illum compello. Paſſiuus ille intellectus, quem Ariſtoteles corruptibilem dicit, ſit ne Phantaſia, in qua ineſt memoria,

ria, necne. Si eſt Phantaſia, quomodo Ariſtoteles ait illam intelligere cum intellectu Agente; et non intelligere ſine ipſo? Phantaſia enim non intelligit. Quocirca intellectus paſſiui nomine Dianœam deſignat Ariſtoteles, quæ nec reminiſcetur quando non eſt: nec intelligit, (ut illi uidetur) ſine intellectu Agente.

Ait quoque ſubſtantiam intellectus Agentis, eiuſdem actionem eſſe. At ſi Hominis propria eſt hæc uis, et non diuina: quomodo idem dicit intelligētem oportere phantaſmata ſpeculari? contraria ſunt intelligere per eſſentiam, et intelligere per phantaſmata.

In libris uerò de moribus, ubi maximè decebat immortalitatem confirmare: tam præpoſterè, et impiè loquitur, ut nihil peruerſius fingi poſſit. Calamitates, et poſterorum fortunas, multò minus pertinere dicit ad eos, qui exceſſerunt è uita, quàm res nefariæ, quæ in tragædiis ſimulantur ad eos, qui illas ſunt perpeſſi. Virtute quoque præditum iubet, etſi difficile ſit; conſtanter mortem tolerare: ingemiſcere tamen mediocriter, dolere, conqueri, turpe non eſſe, et quo maioribus ornamentis eſt ornatus, eo magis dolere honeſte poſſe, quòd illas mox ſit amiſſurus. Quaſi non reſtet prudētia, ſi remaneat animus, in qua una omnes uirtutes continentur. Mortem horribilem, atque terribilem appellat, omniumq́ue malorum extremum. Quia terminus ſit: nihilq́ue amplius ait Homini mortuo, aut bonum, aut malum adeſſe. Terminum appellat. Terminum autem, in prima philoſophia definit, ultra quem nihil rei remaneat. Hæc ille immanis, dirusq́ue animorum parricida. Quem cùm defendit Auerroes, et animos ab interitu uindi-

uindicare ſimulat, in immaniorem recidit ſententiã. Verè ut dicere poſſimus: dignas habere labra lactucas. Immortalitatem nanque animorum non ſolùm Hominibus eripuit, ſed etiam intellectum ipſum. Atque in illius locum, commentitiam quandam intelligentiam ſubſtituit Hominibus aſſidentem. Quæ non ſolùm ſempiterna non eſt, ſed ne eſt quidẽ. Noſtri enim ſunt animi, uis ipſa quoque intelligendi, et noſtra, et immortalis, ut demonſtrabimus. Sed Auerroem audiamus, qui huic fictæ intelligentiæ ſempiternam parat uitam ex Ariſtotelis uerbis. Secludit Ariſtoteles in libris de Partibus animalium, intellectum ab ea ſcientia, quæ nihil cognoſcit aliud, niſi quod, uel ex materia expreſſum, ex eadem conſtet: uel illi aliqua ratione ſit adiunctum. Quod ab hac excipitur, perenne eſt, et immortale. Deinde eodem loco ſui conſilii, cur ſcilicet non differat in naturali philoſophia, rationem reddit. quia (inquit) omnia contemplaretur naturalis philoſophus: nullaque alia ſupereſſet ſcientia: nihil, quod cognoſci poſſet, relinqueretur. Si enim intellectus naturam, et uires conſideraret: oporteret de iis omnibus, quæ illi obiiciuntur, diſputare. Referuntur enim uiciſſim, atque unum ſine alio intelligi non poteſt. His autem cognitis nihil supereſt inquirendum. Ex his duabus rationibus concludunt, intellectum ad naturalem philoſophum non ſpectare. ſed ad ſcientiam, quæ res immortales conſiderat. At cùm hæc dicunt, non animaduertunt, ſeſe eò reuolui, quò minimè uolunt. Sciſcitor.n. cur Ariſtoteles ſi mentem excipit à naturæ ſcientia, de illa tam fusè loquatur in eadem? Quocirca illius lo-

ci, hæc ut arbitror uera eſt expoſitio. Mens humana quoniam eſt uera corporis forma, eius conſideratio Phyſicorum eſt propria. Qui eam agitant accurratè, atque omnem illius naturam, naturæq; uires, et actiones diligenter inquirunt. inueſtigant etiam quænam ſint ea, quæ menti obiiciuntur, et quomodo in illis uerſetur. Propria mentis uis ea eſt, quæ Dianœa à græcis dicitur. Huic rerum ſingularium imagines, quæ in phantaſia conſidunt, obiiciuntur. quas tamen non cernit. quoniam ab illis non mouetur, nec excitatur. Quamobrem diuinum quoddã Numen requirit Ariſtoteles, quod phantaſmatibus uim mouendi intellectum impertiat. Mens autẽ à uiſis pulſata ea primùm percipit: mox uariè agitat, et uolutat: tum quæ in illis ſunt incluſa diſiungendo: tum componendo. quibus motibus ſua abſoluit iuditia. Ex iis quoque Vniuerſales rerum notiones effingit. quas eligit ad contemplationem, conſiderationemque naturæ. Itaque Phyſici ea tantùm indagant, quæ neceſſaria ſunt ad cognoſcendum intellectus actiones, uires, ſubſtantiam. Verùm Diuini illius Numinis naturam, uitæ genus, non inquirunt. Sed illud tantùm indagant, quid Dianœæ præſtet: quæ nam ſit ea muneris functio, qua phantaſmata uim tribuit mouendi intellectum. Sic Ariſtoteles in libris de Naturali auditione, Deum inueſtigat, non ut illius naturam inueniat; ſed ut uim illam mouendi, qua (ut illi uidetur) Cœlum uerſat, depræhendat: cognoſcatque, et quid, et qualis, et quãta ſit. Atque hæc ex eo ſunt genere, quæ etſi ex materia non conſtent: tamẽ ſunt ad illam quodammodo aduincta. Diuina natura motione uergit ad Cœlum,

lum, illique applicatur. Intellectus agens illustrat phantasmata, atque ad ea quodammodo adnectitur. Sententia uerò illa, quæ eorum, quæ uicissim referuntur, unam dicit esse intelligentiam: unumque sine altero intelligi posse negat: tam ampla non est, ut necesse sit, cuncta, quæ in illis sunt inclusa, introspicere: sed ea solùm, quæ in causa sunt, ut referantur. Quapropter et si Physici intellectum considerent: tamenque id causę non est, ut omnia inquirant, quæ sub intelligentiam cadunt: sed ea solùm ex quibus ea oritur habitudo. Motus autem principium proximũ, etsi non sit intellectus, sed mouendi uis, appetitus, phantasiæque cognitio: tamen, et hanc quandoque cognitionem præcurrit intelligentia: ubi mens reperitur; nimirum in Homine. Est itaque intellectus principium motus remotum. Laus autem illa, quæ ab Aristotele Anaxagoræ tribuitur, tanta non est, quãtam ipsi iudicant. Non est permistus animus, inquit Anaxagoras. Probat Aristoteles eam puritatem, ut reiiciat Empedoclem, qui ex Elementis componebat animum, ut rerum omnium naturas, per quas intelligeret, in se contineret, quod ipse refert primo de Anima libro.

Terra quidem terram cognoscimus, aqua autem „
aquam, æthere uerò æthera Diuum: sed igne ignem „
manifestum, concordia autem concordiam: discor- „
diam uerò discordia tristi. „

Sequuntur illa, intellectus omnia intelligit.

Intellectus non est permistus cum corpore. quia nec qualitate aliqua est p̃ditus, nec ullo organo astrictus. Ex quibus rem totam sic concludunt. Si intelli-

git omnia; intelliget immortalia: At nihil mortale intelligere potest immortale. Tum, si nec organum habet, nec qualitate aliqua corporea est insignitus; nec denique permistus est cum corpore. consistet in seipso, et æternus erit. Hæc, etsi uera sunt, non tamen eo consilio proferuntur ab Aristotele, quo ipsi arbitrantur. Fateor nanque intellectum suis uiribus ad res omnes naturales peruadere posset: sed id negat Aristoteles. Quocirca eorum uerborum uim, et sententiam expendamus. Diania sua ni non omnia intelligit. Sed cum singularium rerum, tum uniuersalium, et diuinarum, munere intellectus Agentis fit particeps. In rebus autem diuinis non diuinè, sed more suo uersatur, idest agitationibus, uolutationibus, replicationibus, excursionibus. omne autem quod ratiocinatur, siue mortale sit, siue immortale; de omnibus, quæ illi sunt obiecta, et cognita rationes inire potest. Mentem autem spoliat qualitate Aristoteles, sed non omni. Vult enim mentis aciem, et adiuuari, et confirmari, et rursus labefactari, et corrumpi ex bona, uel mala corporis temperatione, et habitu. Nos hæc dicimus impedimenta tantùm esse, uel præsidia mentis: non causas efficientes. Negat tamen qualitates illas, quæ organo uires addicunt, afficere intellectum. Ab iis enim seiunctus est, atque iccirco instrumento caret; et cum corpore non est permistus. Restant uerba illa prodita ab Aristotele in libro de Generatione animalium.

„ Animam igitur uegetalem in seminibus, et conce-

ptibus,

ptibus, ſcilicet ſeparatis, haberi potentia ſtatuendum eſt, non actu, priuſquam eo modo, quo conceptus, qui iam ſeparantur, cibum trahant, et officio eius animæ fungantur. Principiò enim hæc omnia uitam ſtirpis uiuere uidentur. De Anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt, atque etiam de intellectuali. omnes enim potentia prius haberi, quàm actu neceſſe eſt. Sed hoc uiderit ipſe. Pergit idem. Sed aut omnes contingere, cùm ante non fuerint, neceſſe eſt: aut omnes cùm ante fuerint; aut partim cū antè nō fuerint, partim cū ante fuerint. Et paulò poſt, Sed in mate, aut omnes extrinſecus contingere, aut nullam, aut partim extrinſecus, partim non extrinſecus. Cæterum omnes ante eſſe, impoſſibile rationibus his eſſe oſtenditur. Quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt. Deinde,

Reſtat igitur ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.

Hæc eſt mens illa, de qua tertio libro de Anima ait,

Et hic intellectus ſeparabilis eſt, et immiſtus, et impaſſibilis, eius actio ſubſtantia. Et mox

Separatus autem eſt, ſolum hoc, quod quidem eſt, et hoc ſolum immortale eſt, et perpetuum.

Mentem diuinam intelligit: quam appellat intellectum. Hunc autem extrinſecus accedere dicit: quòd noſtrum eſſe neget. ut alio loco dicemus. Noſtrum enim intellectum uult ſemper à corpore, et phantaſia pendere; illum uerò eſſe idem cum ſubſtantia, nunquam concedit. Sed iam Peripateticorum expli-

Disputatio contra Aristotelē de immortalitate Animorum.

cata causa est. in qua, et Aristoteli aduersamur, et eum execramur; quòd tam studiosè eius ingenium contra pietatem, ueritatemque exarserit. Detestamurque Auerroem, qui nobiscum, et iniquè, et maliti osè agit. Petit nanque sibi mentis perpetuitatem concedi, ut interim nobis, et immortalitatem, et mentem eripiat. Nos autem eo consilio informationem animorum retinuimus; quia id uerissimũ indicamus. Eandem quoque Aristotelis opinionem esse cēsemus, quoniam, et ipse id conuenienter existimauit. Immortalitatem cum informatione acriter defendimus: quòd nihil ferè nobis constantius dici uideatur. Eam nostris animis concedimus; non autem fictæ illi Auerrois intelligentiæ, quæ solùm nobis assideat. Diuini itaque nostri sunt animi, neque morte delentur.

Auerroes malitiosè agit in quæstiõe de immortalitate animorũ.

Qui enim animum cum corpore extingui putant, ii non sentiunt, sese homines natos dicere in miseriam sempiternam. Quid enim est miserius, aut infelicius, quàm cùm aliquando fueris, in nihilum deinde recidere, æternoque tempore omnino non esse? si diuitijs, si honoribus, si parentibus, si fratribus, si filiis, si amicis priuamur, magna perpetimur mala. In maiora autem incidimus, cùm iis spoliamur bonis, quæ eximiè ornant animos. Tum enim et prudentiam, et reliquos omnes præclaros mentis habitus amittimus. Quamobrem amentes, insani, ebrii, infælices sunt: quoniam his priuantur bonis; et eò magis, quòd hæc se amisisse non animaduertunt. Profectò malum priuatio est bonorum, et si maiora sunt bona, quæ deserimus, in grauiores incurrimus calamitates. At quid magis amant, aut expetunt homines, quàm esse, et

uitæ iucunditate fæliciter frui? Hoc maximum omnium bonorum existimant, cum per se ipsum, tū quia principium aliorum omnium esse uidetur. Ex quo illud existit, animantia bruta beata esse non posse, quoniam eorum animæ omnino cum corporibus occidunt. Quocirca si animi post corporis interitum non remanent, quomodo non potius ad miseriam, quàm ad fælicitatem nos genuit natura? absoluto enim breui huius uitæ curriculo, infinito tempore careremus? Neque sequitur, si post mortem non fuerint animi, nec miseri sint futuri. Nam hoc ipsum non esse, summa miseria est. Si igitur ad fælicitatem à Natura instituti sumus, cùm eadem sapientissima sit, immortalitatem nŏstris animis dederit, necesse est. Itaque finis aliquis Hominibus est præstitutus: cuius adeptio eos beatos efficiat. Nullus enim tam obscuri nominis inuentus est philosophus, qui illum non concesserit. Esset enim Homo pessimè omnium habitus à natura. cùm illa cunctis rebus certos fines præfiniat, quos assecutæ suam perfectionem nãciscantur. Si qua igitur constituta est fælicitas Hominum generi: oportet, ut quæ ad illam adipiscendam necessaria sunt, eidem sint tributa. Inde mentem dedit, et intelligentiam. Insatiabilem etiam quendam amorem boni nostris animis ingenuit, quo ad fælicitatem contenderemus. Instrumentaque adhibuit: inter quæ sermo obtinet principatum. Sapientia enim cū sit dux optima ad beatitudinem consequendam: cumq; in animo considat: præparanda uia aliqua erat, qua in animum illa induceretur. Hic sermo est, qui nos sapientiæ facit participes. Disciplinas enim haurimus per animi

notas;

notas; ideſt per orationem, et per ſermonem. Idemque ad retinendam Hominum ſocietatem neceſſarius eſt. Manus deinde additæ, quoniam et ad intelligendum, et efficiendum nati ſumus: ſine manibus autẽ nihil agere poſſumus, nihil omnino moliri. Quocirca ſcitè Ariſtoteles manus inſtrumentum inſtrumentorum, eorum, ſcilicet, quæ ad efficiendum nos iuuant, appellauit. His præſidiis à natura muniti, cõſideremus, an dum in corpore degunt animi beatitudinem nanciſcantur. Sed ſi beatitudo in inſatiabilis illius boni cupiditatis, quæ in nobis uiget, expletione, perfectioneque conſiſtit: hanc certè dum ſpiramus, non conſequimur. Noua enim ſemper cogitamus, deſideramus, quærimus, atq; in nullius boni adeptione conquieſcimus. Quocirca, aut bonum eſt aliquod, quod hanc appetitionem implere poteſt, quod et ſequi, et conſequi ualeamus: aut culpanda natura eſt, quòd inanem noſtris mentibus ingenuit appetitum. Si quid uerò eſt, quod eam explere ſitim poſſit, cur illud non aſſequimur? Nemo enim hanc nactus eſt beatitatem. Infinita nanque eſt animi contentio, et nõ niſi ab infinito ſatiatur. infinitum autem nihil, niſi Deus. Quem cernere non poſſumus, et uiuere. Hoc boni deſiderium ſequitur. et immortalitatis appetitio, quam non ab immoderata cupiditate, ſed ab ipſa natura hauſtam, libatamque habemus. Hanc fateor niſi à ratione cohibeatur, è ſuis finibus excedere: et ad corpus uſque produci. ſed neque hic motus omnino à ratione recedit. Id quod declarat brutorum animantium genus; quod ea cupiditate penitus caret, cùm æternitatem, ne percipiat quidem.

Qua-

Quapropter si eam cuperent; agnoscerent quoque, atque assequerentur. At earum rerum, quas adipisci aliquis non potest, neque amorem gignere, aut cognitionem tribuere natura consueuit. Quibus autem dedit alicuius boni notitiam, eadem studio quodam incendit, instrumentaque impertiit, ad illud consequendum. Ex omnibus autem animantibus solus Homo notitiam Dei habet. eundemque solus amat, et ueretur: ut magno argumento sit, Hominem natum esse ad contemplandum, imitandumque Deum. Hinc extitit Pietas, atque Religio. Intelligi enim non potest, quod quidam impiè affirmare sunt ausi; inuentã, imperatamque esse religionem Hominibus, ut mortalium cætus, atque societates in officio continerentur. Improbi nanque Homines (aiunt) pœnis, cum diuinis, tum humanis perterriti, à sceleribus abstinent, atque religione, immoderatæ libidines refrenantur. Sed hoc et dirum est, et immane. Et qui hæc dicunt, Homines sunt execrabiles, summopereque detestandi. Ita enim de pietate iudicant: ut potè qui ab humanitate recedentes feritatem quãdam induerint. Sed eos compello, atque si illis uestigium ullum rationis remansit; respondeant, cur cùm omnis religio Homines à uoluptatibus, quas ipsi ualde amant, et ad quas uehementi quodam animi motu incitantur, reuocet ad uirtutes; quarum adeptio ardua, et difficilis est: cur inquam, tam propensis animis omnes illam amplectantur? quidam uerò cuncta deserant, atque Deo consecrati, omne ponant studium in illius ueneratione, et cultu? Putant ne tantam uim in Hominũ opinionibus inesse; ut iis sese tam procaciter addicãt,

quibus naturæ legem inuertant? Quomodo autem totum humanum genus tam miro consensu ad retinendam religionem conspirauit? Atque de fine, atque iis, quæ ex fine extiterunt, dictum sit satis. Sequitur argumentũ illud, quod à Diuina sumitur Prouidentia: nostræ immortalitatis testimonium insigne. Prouidentia enim Diuina, cum illa Mundus omnis administretur, ut ostendimus antea: non sinit improborum culpas impunitas esse, atque inultas: iacereq; proborum merita. sed cum in Mundo innumera committantur mala, quæ hic à Diuina Iustitia non uindicantur: multique sint uiri pii, qui purè, casteque uiuant, atque debitum cultum tribuant Deo; iidemque nullis præmiis in hac uita afficiantur: argumento est remanere potest mortem animos in sempiternam uitam. Atque loca infera quædam esse, ad quæ sceleratorum destinentur animi. His non triceps Cerberus, non Cocyti fremitus, non transuectio Acherontis, sed ignis præparatus est, qui ipsos torqueat animos. nec opus sit, ut sentire pœnas possint, concremata corpora apud inferos reficere. Sed hę rationes illis superstitiosæ, anilesque uidentur, ut nec ad earum uim cõsiderandam appellere animos uelint. Quocirca ad physicas illas rationes ueniamus, quæ eorum procacitatem infringant. Firmissima autem omnium illa esse uidetur, quæ ex libero quodam animi statu ducitur; à materia nullo modo pendente. Animos itaque immortales esse, sic à nobis concluditur. Quod à materia non pendet, ut sit, immortale est. Animi ut sint, à materia non pendent. Animi igitur sunt immortales. Hoc nihil clarius, aut certius concludi potest.

Firmissima ratio immortalitatis Animorum.

test. Ex his autem, quæ ad concludendum sumimus, primum concedunt plerique omnes. Alterum negare uisi sunt quidam. Quare nos illud comprobemus. Mentem itaque à materia non pendere, ut sit, declarat primùm cognitio uniuersalium. Quæ cùm soluta sint ab iis omnibus affectionibus, quæ aut ex materia existunt, aut eam consequuntur, in primisq; temporis, ac loci; non possunt nisi à ui aliqua diuina, et immortali comprehendi. Ad intelligendum enim certam proportionem inter uim, quæ intelligit, et id quod intelligitur, intercedere oportet. Mortale autem et immortale magno naturæ interuallo disiunguntur. Mortalis enim naturæ uires exiguæ sunt, et à materia quibusdam finibus conclusæ. quos excellere non licet. tantæq; sunt eiusmodi uirium angustiæ: ut quæ adsunt solùm agnoscant: nihil longinquum spectent: paulùm admodum sentiant præteritum, et futurum. Loca etiam cum rebus quas percipiunt copulant, neque ab illis ea disiungere queunt. itaque uniuersale cùm singularium affectionum sit expers, à re mortali, quæ nihil nisi singulares proprietates cognoscit, percipi non potest. Quod et ipsi testantur Peripatetici. itaque negarunt quidem in nostris animis inesse diuinitatem. sed adesse iidem acerrimè contendunt. Nos autem ubi de agente hac ui disseremus, perspicuè demonstrabimus agentes illos, atque possibiles intellectus à Peripateticis primùm introductos, abhorrere à philosophia plurimum. Vnamque esse mentem, quæ hæc omnia sua ui munera obeat. Sed concedamus illis etiam uniuersalia ab intellectu agente informari, quod certè Aristoteles

non existimauit: Dianiæ tamen illa intelligit. Hæc autem uis intelligendi diuina est, etsi parare sibi, quæ intelligit, non posset. Quare si noster animus est, qui uniuersalia intelligit, eundem quoque immortalem fateri necesse est. Capacitas autem illa, qua nostræ mentes intelligere omnia possunt: quid significat aliud, quàm amplitudinem quãdam uirium, quæ nullis materiæ angustiis concludatur? neque confugiendum est ad agentem intellectum. Hic enim si ullus est, Dianiæ uires non confirmat: sed tantùm illustrat phantásmata. illisque uim tribuit mouendi intellectum. Prætereo hoc in loco quòd intelligat immortales mentes. hac enim de re obscura quæstio est: Sed capacitatem illam considero, quæ in ipso cernitur intellectu, quæ ad omnia percipienda est apta.

Sequitur argumentum illud maximum, ductum ex uoluntatis libertate. Quæ à nulla ui (Dei excipio infinitam, absolutamque potestatem) uel infringi, uel cogi potest. omni uiolentiæ obsistit: omnem superat necessitatem; periculaque contemnit: supplicia, pœnas acerbissimas despicit: misericordia inuitè non ducitur: omnes denique uincit, et externas, et internas commotiones, et perturbationes. Hæc in re caduca, et mortali, quæ ex materia exorta sit, inesse nõ possunt. Videmus enim reliqua omnia animantia naturæ necessitate quadam teneri, qua astricta, ad agendum urgentur, et impelluntur. Vnus Homo in terris Dominus est, et moderator suarum actionum. Quæ res, et humanæ naturæ præstantiam, et diuinitatem, cui duntaxat libertas iuncta est, maximè confirmat. Iam uerò sequens dissensio inter rationem, et appetitum; sensus,

sus, et mentis diuersitatem apertè declarat. Etenim si unius generis essent, atque oẽs ex materia exortæ, magna cõcordia, summaq; societate sese complecterẽtur. Vnum enim esset genus mortale animorum. sed quoniam sensus caduci, mens uerò, et ratio sempiterna: illi ad mortalia bona trahunt, hæc autem ad immortalia allicit, atque diuina. Nihil enim mortale immortale appetere potest, quia ne cognoscit quidem. Si unum esset genus animæ, ad unum quoque genus bonorum nos perduceret: sed ad diuersissima reuocat, atque contraria. Vnde multiplex inter sensum, et rationem pugna exoritur. quæ diuersitatem naturarum ostendit. Denique omnes sentiendi uires, siue illæ exteriores sint, siue interiores senectute confectæ, extabescunt. Hæbetatur enim et uis audiendi, et uidendi potestas. Memoria quoque, quæ in phantasia inest, uehementer debilitatur. Sola ratio non infringitur, non imminuitur; imò ætate perficitur. In senibus nanque, et exquisitiora iudicia, et acriorem cernimus intelligentiam. sicutq; illæ, immutatis instrumentorum temperationibus, à quibus pendent, infirmantur, et delentur: ita ratio ab omni corporeo organo segregata, atque ab omni corporis moderatione seiuncta; nunquam mutari potest; sed senescente corpore, magis floret, quoniam, et diutius uixit; unde prudentior, et perfectior est effecta. Perturbationibus quoque immoderatisque cupiditatibus compressis, quasi à corpore soluta, et libera, minus à cogitatione impeditur, et reuocatur. Ex his constat in magna rerum ignoratione uersari eos, qui putant, et insanos, et amentes, et deliros Homines effici;

quòd

quòd ratio ipſa mutata corporis temperatione deprauetur. Mentis enim natura cum immortalis ſit, à nullis corporis temperationibus aut uerti aut mutari poteſt. Sed perturbantur, confunduntur que illius actiones; quoniam uis ipſa cogitandi, ideſt phantaſia; per quàm Mens pleraque ſua obit munera, à prauis corporis affectionibus, et habitibus immutatur, et deprauatur. ex hac autem praua intelligendi conſuetudine diſtorti oriuntur habitus, quibus deinde peruersè intelligit. Ex his conſtat Animum neque ab illius affectionibus pendere. Intellectio uerò, quod maius eſt, et pleriſque nouum uideri poteſt: non ſemper indiget phantaſmatibus; ſed multæ etiã ab ipſa ſola mente ſine phantaſmate peraguntur: quãuis ob uirium animæ arctam connexionem, non poſſit mens intelligere; quin phantaſia ſua munera obeat. Sed hanc rem in diſputationibus de intellectione, et Agente intellectu diligenter tractauimus. Atque de immortalitate Animorum (vt opinor) à nobis dictum eſt ſatis.

Cur Deus immortalem animum ad mortale adiunxerit corpus. Cap. IIII.

ANIMVS cùm immortalis sit, corpori coniungi non poteſt per generationem. quæcunque enim materiæ hoc modo connectuntur, eadem quoque ex materia ſunt expreſſa. Procreatur itaque à ſummo auctore naturæ. à quo etiam hæc rerum vniuerſitas effluxit.

Conſentaneum autem fuit eadem actione procreari animos, atque ad corpora adiungi, tum quia hoc cernimus in rerum omnium generatione; tum quoniam ab omni ratione diſcrepare uidetur; formam Hominis, corporis conſtructionem anteuertere. In quod commẽtum Academici, cùm animis omnem tribuant æternitatem, incurrere uidentur. Fuiſſent enim æterno tempore diminutæ, inchoatæq́ue naturæ. Sed cum id illi (ut opinor) animaduertiſſent, ut hunc fugerent errorem in maiorem inciderunt. Animosq́ue perfectos, et abſolutos eſſe dicunt, qui non Hominibus aſſiſtant; ſed hnmanis animalibus. ipſi autem ueri, atque integri Homines ſint. ſed hæc iam à nobis antea ſunt confutata. Ex his efficitur procreari animos à Deo, atque eadem actione cum præparatis per generationem corporibus connecti. Quapropter cùm animus nunquam antea degerit, in illa coniunctione naturalem quandam init cum corporibus ſocietatem. illudq́ue impensè amat: uultq́ue in eo diuturno

Animi non fuerũt ante corpora.

Animi amor erga corp' unde exũtit.

turbo tempore uitam traducere. A quo, et inuitus seiungitur. cùm in ipsa morte repugnare, angi, dolere, dimicare, plurimum uideatur. Segregatus autem erga corpus perennem quandam declinationem conseruat, qua appetit illi iterum iungi.

Cur ad mortale corpus immortalẽ Animum adiunxerit Deus.

Sed iam causas exquiramus, cur ad mortale corpus immortalem animum adiunxerit Deus. Profectò si considerare uoluerimus admirabilem Mundi fabricam: inueniemus nulla alia ratione, ex tot diuersis naturis ad cohærendum aptis, Vnum effici potuisse: nisi in Mundo extitisset uinculũ aliquod, quod utrãque substantiam corpoream, et incorpoream cõnecteret. Quocirca cùm unus sit Deus, maximè illum decebat, sua opera ita contextè, et consertè colligare, ut omnia in unam conuenirent uniuersitatem. Sed cùm rerum uariæ essent naturæ, formisque, et generibus inter se discrepantes; desiderabantque medium aliquod, quasi nodum, cuius munere cõnecterentur. Accessit igitur annulus humanæ naturæ. qui caduca æternis pulcherrimè iunxit.

Altera causa.

Ad idem Deum impulit noua quædam ratio exercẽdarum uirturum. Duplex enim cùm sit earum genus, alterum quod repugnat iis uitiis, quæ animi dicuntur: alterũ quod illis aduersatur, quæ è sensibus, et corpore exoriuntur: ad priores exercendas habilis erat Animus, quãuis ad corpus non fuisset adiunctus: posteriores autem uirtutes acquirere non poterat: nisi ad sensus applicaretur. Quare non ad prolabendum in uitia datũ est illi corpus: sed ad refrenandas immodicas animi cupiditates; inferioresq; uires continendas in officio. Quod non tam difficile erat, quàm præclarum. Sed

cùm

cùm ab ea institutione frequentissimè, et assiduè declinent Homines: summa sapientia factum est, ut crebra pœnitentia prauorum actuum, exhiberent Deo occasionem declarandæ magis suæ bonitatis, et perfectionis. Id quod nobis, admirabilis illa Verbi, atque naturæ humanæ coniunctio, sacramenta, atque alia mysteria declarant. Ex quo et tertia existit huius connexionis ratio. Cùm enim rerum omnium naturæ ab uno principio ducātur: uoluit Deus in hoc paruo Mundo, et huius totius Vniuersi quasi compendio cuncta coercere: ut deinde Hominem sibi iungēdo omnia ad extremum produceret finem. Neq; huic diuino consilio obsistit mortalitatis, et immortalitatis summa discrepantia. Corporis enim mortalitas attendenda non fuit, dummodo esset aptum instrumentum Animo, ad suas obeundas operationes, in primisque intellectionem. Intelligentia autem; et à sensibus oritur, et hi omnes fundantur in tactu. Sensus itaque, ut magis quæ illis obiiciuntur percipiant, propiùs ad delicatam corporis temperationem accedere debent. Exquisita autem corporis moderatio magis est corruptioni subiecta. Quod tamen periculum Deus iam auerterat in eo statu, in quo primum generauit Hominem. Eo autem à diuina lege recedente, restituta nobis mortalitas est. Hæc Animorum corporibus iungendorum causæ iustissimæ.

Tertia huius cōnexionis ratio.

De Intellectus natura. Cap. V.

SEQVITVR abstrusa illa, atque copiosa disputatio de natura Intellectus, quid scilicet sit, quidvè faciat in animo. Hæc diu summis ingeniis tractata, et elaborata, nobis quoque uidẽda est: ut quæ uera sunt retineamus, reiciiamusq; falsa. Principiò itaq; cõfutandus est error eorũ, qui intellectum nihil aliud esse, quàm sensum quendam animi interiorem, à græcis Phantasia nuncupatum, affirmant. Officium autem illius illud statuebant: nimirum ea cernere, quæ sensus exterior uiderit, atque illi nũtiauerit. Hunc autem ad nullum alium usum Hominibus à natura datum esse dicebant, nisi ob memoriam rerum conseruandam: ut scilicet in se ipso ea reconderet, quæ sensus exterior non poterat retinere. Atque iis cùm uellet agitatis multorum annorum elapsas repeteret actiones.

Intellectus non est sensus Iterior.

Sed si omnes sentiendi uires unà cum corpore delentur. Animi autem (ut ostendimus antea) remanent in sempiternam uitam, quomodo sensus erit intellectus? Actiones quoque actionumque uarietas; libertas; uniuersalis, atque rei incorporeæ cognitio: sui ipsius in se ipsam conuersio, horum insaniam apertè testantur. Vniusmodi enim sunt sensuum opera. quod apparet in brutis, quæ semper eadem expetunt, sequuntur, et agunt. Homo autem intelligendi ui præditus, omnia sua celeritate peruadit. Deinde cùm ad moliendum aliquid applicat animum, consilia init rerum suarum: innumeros profert modos, quibus

bus actiones suas ad metā perducat. Eligit tandē unū, eundemque nonnunquàm respuit. incipit, desistit; reuertitur: uult, non uult: agit, non agit, cuncta denique uersat. Rursus si belluis bonum aliquod obiiciatur, quod illa permulceat, atque alliciat, non possunt, nisi uis acrior eas retrahat, sese continere, quin statim illud effrenatè non sequantur. Homines uerò quamuis studiosissimi sint uoluptatum, iis propositis, possunt actionem sustinere. Denique sensus, etsi multa cernant: non animaduertunt tamen se cognoscere ea, quæ sentiunt, cùm materia sint depressi, et quasi demersi, nunquam possunt in se ipsos conuerti, aut alio modo suas actiones perspicere. sola intelligendi uis, et intelligit, et se intelligere animaduertit; et alia intelligit omnia, et cum aliis se ipsam agnoscit. Non est itaque sensus intellectus, sed illum longo excellit interuallo. Quod tamen tantum non est, ut ad Angelorum usq; naturam perducat. quod quidam sunt opinati. nullaque alia ratione inter se Angelorum naturas differre dixerunt: nisi quòd aliqui corpora non informarent, alii autem ad ea informanda descenderent. Angelorum enim naturæ omnes perfectæ sunt, atque omnibus suis numeris absolutæ. Quocirca partes alicuius rei esse nequeunt. Eorum intelligentia acerrima, quæ et aspectu perficitur, et omnes nostras superat uolutationes, et ratiocinationes. Sunt alii qui intellectum nihil aliud esse putant: nisi rem, quæ intelligitur. In quorum numero unus est, qui ita subtiliter argumentatur, ut quid etiā sibi ipsi uelit, ignoret. Hæc enim ait de intellectu.

Animos Angelos esse quidam falsò sunt opinati.

Vtrum Intellectus sit res, quę intelligitur.

Intellectus res est ipsa, quæ intelligitur. Veluti cū ,,

,, equũ itelligo, itellectus meus est forma equi. et mox.
,, Æterna igitur est forma intellectus. Quoniã noster
,, intellectus, dum hæc legis et contemplaris, manet et
,, est. Eædemq; sunt formæ scilicet, ac species immate-
,, riales usque in æternum. Et alio in loco.
,, Nam quid nunc hæc scriptura ab intellectu meo
,, differt? Intellectus autem meus est, quicquid in me
,, boni est. Sic igitur qui hæc leget annos post bis mille,
,, intellectum meum uidebit, et assequetur. Atque hæc
,, est intellectus uniuscuiusque perpetuitas, non autem
,, æternitas. Et rursus.
,, Ipse intellectus omnino à Corpore separatus est;
,, Nunc enim dum hæc scribo meus intellectus est, ea;
,, quæ perscripta, hæc tu intelligis. dumq; medica per-
,, tracto, medicina; dum de numeris scribebam, nume-
,, rus erat. Adeo quòd aliis omnibus, qui diuersa scri-
,, psérũt euenire necesse est. ut dum mea relego scripta,
,, alius mihi fuisse uidear ab illo, qui nunc sum.

Hæc qm̃ incerta, et obscura uidentur, sunt nobis diligenter introspicienda. Principiò quæro de illo intellectum ne faciat rem ipsam, quæ intelligitur, quęq; est in natura: an eam, quæ est in intellectu ab illa generata, idest rei speciem. Si primum respondeat, mihi insanissimus uidetur, et indignus, cum quo disseratur. Si uerò speciem rei mentem fieri affirmet, in idẽ quoque imaginũ genus refert intellectum. Hocq; sentire uidetur. A quo tñ longe dissentit Auerroes, quem iste auctorem huius sentẽtiæ facit. Etenim inquit Auerr.

,, Intellectus possibilis fit omnia per modum rece-
,, ptionis, et similitudinis.

Quamobrem fateor Auerroem intellectum quen-

dam

dam inducere ex rerum notionibus constantem, eundemque mortalem, quique in possibili intellectu cōsidat, et concidat. Possibilem tamen, et substantiam agnoscit, et eundem immortalem affirmat. Sed ad eum reuertamur, qui intellectum oriri cum ipsa intellectione dicit. Idemque ait mentem extrinsecus accedere, quoniam hæ imagines à rebus obiectis imprimuntur in sensibus. deinde uariè formantur ab animo, quousque species euadant. Ex his autem speciebus simulachra quædam deducit, uerba, sermones, scripta. Hanc itaque imaginum commeationem à rebus ad animum, ab animo ad uerba; à uerbis ad scripta, intellectus transuectionem appellant. ita tamen ut species sit uerus intellectus. reliqua uerò intellectus simulachra quædam. Denique conseruari inquit intellectum in perpetuitate quadam, non in æternitate. quia, et species, et specierum simulachra ad aliquod tempus cum quadam uicissitudine, et commutatione permanent. Hæc ille, et insciè, et impiè. Nam si uim quandam intelligendi nō ponit in animo, quomodo hunc intellectum, quem fingit acquirere possimus, intelligi non potest. Oportet nanque priùs rem intelligi; deinde intellectum gigni: quoniam species rerum si imprimuntur in nostris animis, per intellectionem consignantur. sed quomodo illam intelligemus sine ulla intelligendi ui? Ex his efficitur Mentem, siue intellectum uim quandā in animo esse, quæ singularia omnia, tum uniuersalia imitando euadat. in singularibus autem uersatur dispari quadam ratione, ac faciant cæteræ animi uires. Munus proprium illud est, quem appellant discursum. Phantasia

Quō Intellectus fit res quæ intelligitur.

tasia uerò diuidit, dissimiliterq; componit. Vnde Poetarum mater rectè nuncupatur. Vtrum autem mens ab animo internoscatur, disseremus posteà.

De Intellectione. Cap. VI.

INTELLECTVS natura perspecta, de Intellectione quid illa sit, quo modoque fiat, uideamus. utrumque tamen simul præstabimus. quòd unũ sine altero uix comprehendi possit.

I

Empedoclis sententia de intellectione.

Empedocles primùm cùm animaduerteret nihil nisi per simile cognosci, animũ ex quatuor Elementis componit, igne, aere, aqua, terra. atque illum res omnes, quæ ex iis concrescunt, quasi per similitudines quasdam agnoscere dicit. Quam sententiam si propriè excipiamus, indigna uiro philosopho esse uidetur. tum quia animum corporeum facit. tum etiam quia illum dissolubilem reddit. sed profectò Empedocli Elementa hæc animorum nõ sunt corpora, sed species quædam: quibus ille cuncta perspiciat.

Academicorum sententia de intellectione.

Quæ sententia à Platone retenta, floruit in Academia. Etenim aiunt animos antequã intrent in corpora innumerabilium rerũ cognitione uigere. quòd in illis rerum omnium species ingenuit natura. Has secum attulisse in corpore, ut iis intelligeret. neque enim poterat cũ immortalis sit, rerum notiones à sensibus accipere. quod ex re mortali, nulla pfectio immortali accedat. Quocirca nihil in se recipere intellectum, quod caducum sit; sed phantasmatum præ-

sentia

ſentia pulſari. quo motu reuiuiſcere,atque emergere ſpeciem Phantaſmati ſimilem,quæ antea deliteſcebat. Hanc mox animum cernere, atque in recordationem rei,quæ nouerat ante uenire. Ex quo concludunt nihil eſſe aliud diſcere, quàm recordari. Verùm nec animi corpora anteuerterunt, ut oſtendimus antea: neque ſpecies ullæ à natura illis impreſſæ, atque conſignatæ ſunt. Etenim ſi has haberent animi in ſeipſis inſculptas, cognitionem à ſenſibus non exquirerẽt; ſed in illis intuerentur, quæ ſcire deſiderant. Quid enim illis impedimento eſſe poſſit non uideo. præſens enim eſt ſibi animus, ſpecies rerum in ſe ipſo habet. ui quoque intelligendi acriter pollet. cur itaque non intelligit, cur non cognoſcit? Neque illi obſtare poteſt inſolitum, perturbatumque domicilium, in quod tam repente immigrauit. Nam fateor ſi corpus informet,et tegi,et obduci,et ne acriter intelligat impediri. ſed cùm ipſi dicant animum duntaxat aſſiſtere: excogitari non poteſt,quomodo corpus eius intelligẽtiam impediat. Neque enim nauis iudicium nautæ eripit, aut perturbat. Quin nec ipſa maris procella eriperet, niſi metus illi incuteretur. At perturbationes hæ (ſi quæ ſunt) non attingunt aſſiſtentem animũ, nec poſſunt attingere. Illa quoque fugiendi uia præcluſa eſt. animum aiunt frequenter contemplari, nobis imprudentibus. Cùm id dicunt, euertunt ea, quæ ab ipſis iam ſunt conſtituta. Nam fateor ego, ſi Numen aliquod nobis aſſiſtat, agere poſſe nobis ignorãtibus; quoniam nec noſtrum eſt, nec eius opera noſtra. Sed hoc ipſi concedere non poſſunt, niſi uelint iis, quæ iam conſtituerunt repugnare: Nam noſtrã aiunt

Contra Academicos.

eſſe

esse assidentis animi intellectionem: neque nos per secundam animam, quæ intelligendi ui caret, quicquam cognoscere. Cur itaque, si nostri sunt animi, iis intelligentibus nos non intelligimus? Distrahimur sæpe, et à sensibus auertimur ne intelligamus. At dum intelligimus, sensus non possunt impedire intelligentiam. sicuti mens ipsa auocare potest sensus, ne ea cernat, quæ etiam in eos incurrunt. Nullæ itaq; in animo à natura sunt consignatæ notiones, nullæ species, sed si quæ sunt, eas à sensibus expressimus. Ipse uerò intellectus his omnibus nudus, et uacuus: uim quandam habet indifferentem ad omnia cognoscenda. Antequam autem intelligat quicquam, omnino inanis, atque expers omnium rerum est.

Quare rursus uidendum, et quid intellectio sit, et quomodo intelligat intellectus: et denique qua ratione intelligendo omnia fiat. Intellectio itaque aut est animi actio, aut passio, aut utrunque. Concedunt omnes intellectionem passione quadam, et actione absolui. sed quomodo id fiat, dissentiunt inter se. Passionem multi ita explicant. Res imagines quasdã sui ipsarũ simillimas, primùm in sensibus imprimunt. mox in phantasia. in qua ubi consederint, phantasmata appellantur. quæ cùm sint adhuc impolita, et rudia, uim mouendi excitandique mentem non obtinent. Quocirca requirunt intellectum quendam agentem. qui quasi lumen phantasmata illa illustret; idest ex illis exprimat species quasdam puriores, et subtiliores: quæ primum intellectum pulsent, et in eo recipiantur. Motum autem illum, et susceptionẽ, passionem quandam appellant. non quæ destruat, sed

Quid sit Intellectio.

quæ

quæ perficiat intellectum. Actionem autem ita ferè exponunt. Vbi speciem intellectus in se ipso receperit, eam uariè agitat, uolutat, diuidit, componit, iudicat. atque in his obeundis muneribus Dianœa nuncupatur. et agere, non pati dicitur. Intellectum autem aiunt ea specie suscepta rem ipsam et simulare, et exprimere. Atque pro uaria illius speciei agitatione, dissimiliter quoque rem imitari. Quinque itaque ad intellectionem efflagitant. rem obiectam, quæ imaginem sui similem gignat in sensu. Phantasma. Intellectum Agentem; qui phantasmata illustret, speciemque eliciat, et exprimat. Speciem ipsam, quæ et mentem ad intelligendum excitet, atque illi rem ipsam referat. denique mentem, quæ speciem in se recipiat, et eam uariè uolutando diiudicet. Hæc est eorum sententia, quæ diuidenda mihi uidetur. Nam quatenus, de imaginibus, quæ in sensum, et in phantasiam incurrunt, edisserunt: illis libenter assentior: De specie uerò, et intellectu agente ab iisdem multum discrepo. Speciem itaque prius consideremus, mox de intellectu agente. Speciem iterum isti exquisitiùs declarant. Negant primùm eam idem esse cum intellectione. quòd intellectio sit actio quædam mentis: species uerò non sit actio, sed imago, quæ rem ipsam, à qua primùm ducta est, præsefert. Deinde aiunt speciem non esse rem, quæ intelligitur: sed simulachrum rei, et modus quidam intelligendi. Intellectus autem dum contemplatur; cognoscit speciem illam, rem non esse: sed notionem, et imaginem rei. Quare ubi se ad appetendum producit; non appetit speciem, quæ intus est: Species.

TT sed

ſed rem ipſam, quam ſpecies ſignificauit. Quando autem quid ipſa ſit ſpecies interrogantur, rectè reſpondunt, non eſſe ſubſtantiam: ſed genus quoddam rerũ ſubtile, ac tenuè, et ut appellant ſpirituale, quod à rebus ducitur, atque in continuis interualli partibus exprimitur, quonſque ad intellectum perueniat. His autem rerum imaginibus uim tribuunt mouendi animorum uires. Verum autem aliud agant in natura necne, abſtruſa quæſtio eſt, et quæ ad hunc locum non pertineat. Illud certum eſt, rerum ſpecies et in ſenſus incurrere, et in phantaſiam: ſed an in intellectũ imprimantur, dubitamus. Veriſimilius tamen uidetur nullas conſignati ſpecies in mente. Etenim rationem inuenire, quomodo à phantaſmate gignantur, et arduum eſt, et difficile. Nam cùm phantaſma rude ſit, et ſingulare, uix intelligi poteſt, quomodo mentem excitet, et pulſet, ſpeciemque gignat, quæ formam puram, uniuerſalem, et à materia nudam repræſentet. Confugiunt ad intellectum agentem. ſed hic quomodo poteſt ex phantaſmate diſſimilem ſpeciem exprimere? Eoque magis quòd intellectus, *non niſi* rerum proprietates, et affectiones percipere poteſt. à quibus in rei naturæ cognitionem ægrè deducitur. Subſtantiam uerò ipſam, proximè nulla ratione cognoſcimus. Quocirca cùm ſingularium cognitio uniuerſalium perceptionem antegrediatur: ſi ex phantaſmatibus ducuntur ſpecies; neceſſe eſt ſingulares eſſe, et illis ſimillimas. Quocirca ſi ullæ ſunt ſpecies concedendæ intellectus agentis, munus erit ex phantaſmatibus illas elicere, ut uim mouendi intellectum obtineant. Hoc de productione dici poteſt. Sed de earũ conſer-

Species rerũ nullæ in intellectu imprimũtur.

conseruatione maior est difficultas; quæ speciem rem esse commentitiam ferè ostendit. Quæro enim de illis: num species in intellectu impressa pendeat, conserueturq; à phantasmate, ita ut eo sublato, quasi occũbente Sole, et illæ euanescant: an nulla opus sit phantasmatis præsentia? Conseruari quidem à solo phantasmate non possunt; quoniam nec solùm ab eo productæ sunt. quare perennem quandam actionem cũ phantasmatis, tum agentis intellectus ad sui ipsarum conseruationem requirere uidentur. si uerò à phantasmatis præsentia non pendent: sed semel genitæ, et in mente consignatæ sustinentur, et permanent: primùm infinita quadam memoria polleret animus. Nam si paulisper conseruantur, nunquam excident. sunt enim in re immortali. quæ semper retinet ea, quæ suscipit. nisi à Dei summa potestate exigantur.

Sed de specie dictum sit satis, Intellectionem itaque ipsam, et quomodo fiat, explicemus. Mentem uim quandam animi definiuimus, qua ueluti quodã oculo rerum omnium naturas, earundemque affectiones, et proprietates intueri, et cernere possimus. Hęc habilitas cùm primùm in rem aliquam obiectam incurrit, non mouetur ab illa, neque pulsatur per aliquam speciem, uel ex mente expressam: uel in ipsa cõsignatam: sed si proportionẽ ad rem pręsentem habeat aliquo motu, illam cernit, atque intuetur. Sola itaque præsentia rei obiectæ, est mentis ad intelligendum excitatio. Excitata autem mens rem præsentẽ imitatur. Imitatio autem hæc, intellectio ipsa est. Quæ quomodo fiat, nobis est uidendum. Principiò mens rem non imitatur specie aliqua in se ipsa recepta. Ea nãq; De intellectione uera sententia.

potius quædam eſt ſuſceptio imitationis, quàm imitatio. Sed cùm apta ſit ad omnia cognoſcenda, ſeſe ad rem præſentem confingit. Perinde ac mirus quidam ſcenicus artifex: qui in peragenda fabula, tã aptè multorum diuerſos mores, geſtusq; ſimulat; ut eos nihil loquendo, facillimè ſpectatoribus prodat. In ea autẽ imitatione multa inuoluũtur, quæ egent explicatione. Primùm cernitur Paſſio quædã. Atq; hæc illa eſt, qua mens ſeſe rei aſſimilẽ reddit. Hanc conſequitur actio, nimirum multiplex illa, uariaq; agitatio, et diſcuſſio, qua modò diuidit, modò componit. Tum iudicium quoddam ſpectatur, quod abſolutio eſt, atq; perfectio intellectionis. Cùm autẽ mens ceſſauerit, remanet in intellectu quædam affectio, et ad rem rurſus imitandam habilitas. quæ ſi exercitatione, atque conſuetudine intelligendi confirmetur, habitus firmus euadit. Hæc autem affectio pulcherrimè memoriæ conſulit, eamque gignit, ut dicemus poſtea. Iudicium quoque confirmat, redditq; acrius. idemq; conſtanti habitu perficitur. Verùm neque hæc affectio illa, neque habitus à mente internoſcitur. ſed eſt eadẽ mens, quæ intellectioni aſſueta, magis fit habilis ad imitandum. Hæc, et ipſius Ariſtotelis ſententia eſt. Imitatione enim ait Homines, et differre à cæteris animantibus, et primas acquirere diſciplinas. Etenim in libello de Poëtica ita ſcribit:

Affectio Mentis.

» Cæterum à duabus cauſis, et quidem naturalibus
» uidetur Poetica habuiſſe originem. Nam et inſitum
» eſt à natura Hominibus à pueris imitari, et differunt
» à cæteris animantibus, tum quòd aptiſſimi ad imita-
» tionem ſunt, tum quòd primas diſciplinas imitando

acquirunt. Et in Poblematibus quærit.
Cur Homini potius, quàm cuiquam ex cæteris animantibus credendum est? Vtrum ut Plato Neocli respondit, quia Homo solus omnium animantium nouit enumerare? An quia solus Deos ueneratur, et colit? An quia omniũ maximè uim obtinet imitandi? Hinc enim discere tam multa, et uaria potest. ,, ,, ,, ,, ,, ,,

De Intellectu Agente. Cap. VII.

RESTAT ut diligenter illud dispiciamus: Num ad præclaram illam imitationem peragendã, qua fieri, et absolui intellectionem diximus; necessaria sit uis aliqua diuinior: An mẽs ipsa, quæ intelligit, sibi ipsi sit satis? In qua quæstione doctissimorum uirorũ multæ, eæq; discrepantes extitere sententiæ. Aristoteles nanque acerrimo uir ingenio; primus omnium diuinam hanc uim in naturam tam occultè, et repente introduxit; ut quid ea sit, et quid illam exciuerit, et quas habeat munerum functiones, inuenire difficillimum uideatur. Intellectus Agens.

Sunt qui existimant intellectũ Agentem ad confingendas uniuersales rerum notiones ab Aristo. requiri. Etenim aiunt: Phantasiam singulares rerum imagines Menti proponere. quas illa tamẽ, nec cernit, nec uidet; quoniã singularia sint. i. materiæ conditionibus inuoluta. Communes aũt rerũ notiones nullam animi uim moliri posse. ad has formandas Diuinum hoc Numen efflagitant, à quo illa effingi tali quodã modo faciunt. Vim quandam illi tribuunt, quæ proportione respõ- Intellectus Agẽtis muneris functio. ,,

deat

deat lumini. Hac Agentem intellectum, tanquam
mirum quendam artificem, rerum phantasmata illustrare dicunt, remouendo, et amandando illas omnes affectiones, quæ rem obiectam singularem faciunt. ut tempus, locũ, et huiusmodi multa alia. Quibus amotis uniuersalis rei notio emergit. Hanc possibilis intellectus deinde uariè uolutans, et agitans, eam noscit, et internoscit, quæ in illa sunt inclusa. Hæc illi. Alii autem, à quibus Aristotelis sententiam uerissimè expositam esse censeo, intellectum Agentem iccircò requirunt, ut cum phantasmate coniunctus, illi uim tribuat mouendi intellectum. eaque ratione omnia, quæ (ut loquuntur) potestate sunt intelligibilia, actu intelligibilia efficiat. Vniuersales enim rerum notiones non sic fiunt ab intellectu Agente; sed à possibili ex singulari anteà percepto. Hæc est causa, quæ è tenebris hanc potestatem in lucem euocauit. Hæ illius munerum functiones.

Quid sit Intellectus agens.

Quid uerò sit hoc Numẽ, et num in animo insideat; obscurior est quæstio. Sunt qui potestatem illam, et nostram faciant, et à Possibili intellectu non nisi muneris functione internosci dicant. Alii uim quandam Diuinam, quæ in animis nostris, ea, quam diximus, actione fungatur. quæ Aristotelis sententia est. Etenim de illa.

„ Et hic intellectus separabilis est, et immixtus, et
„ impassibilis substantia actio existens.

Quæ nostris animis congruere non possunt. Nam, etsi immortales sint: eorum tamen actio non est substantia. Non me hoc loco præterit commentitia illa Auerrois intelligentia, superarum mentium infima. quam, et notiones sibi præparare, formareque dicit,

et

et easdem in se recipere. Nam quæro, quonam modo suas obeat intellectiones: num in propria sui substantia res cernat, et substantia intelligat, necne. Si primum respondeat, cur dicit Aristoteles eam ad intelligendum phantasmatibus semper egere ? cur non reminiscitur ? Si uerò phantasmata requirit: cur dixit Aristoteles illam actionem eius substantiam esse ? Congruent fortassè illi duo intelligendi modi? At hoc nouum est, et commentitium. Illa nanque intellectio, quæ phantasmate peragitur, imperfecta est, et diminuta. dedecetque tam nobilem mentem, si in se et per se præclariora cernit. Sed Auerroem omittamus, consideremusque, sit ne nobis necessaria hęc uis ad intelligendum, necne. Contra quam ita disseremus, siue à nostra anima non internoscatur; siue sit illius potestas aliqua, et (ut loquuntur) differentia interior, siue uis quædam diuinior. Quæro itaque quid agit, quidvè molitur in animo hic intellectus. aut intelligit: aut non intelligit. Si non intelligit, sed solùm obiectas imagines aptas reddit, ut à Dianœa intelligantur, quomodo est intellectus ? Nomen habet, natura certè ac ui intelligendi caret. Quod si uerum est, cur etiam lumen uisum non appellamus? colores enim idoneos facit, qui cernantur à nobis. Deinde si non est permixtus corpori, si segregatus ab omni contagione materiæ, si impassibilis; quid obstat, quid impedit nè intelligat ? quomodo eius substãtia est actio? quomodo possibili est nobilior, cùm ille cognoscat, hic nihil uideat, nihilque cernat omnino? Sin autem intelligit, omnia intelliget, et semper intelliget. quia eius substantia actio. Si igitur noster est, cur non per-

Verũ ad intelligẽdum necessarius sit Intellectus Agens.

cipimus præstantem hanc, et perennem intelligentiã? Si autem uerè prolatum est ab Aristotele, nostrum intellectum inter intelligendum, phantasmata contemplari oportere: necesse est, et hunc Agentem, si noster sit, cùm intelligit iisdem legibus esse subiectum. Qui uerò sentiunt Agentem intellectum à Possibili non distingui; atque iccirco eundem esse, qui phantasmata illustrat, et qui intelligit: atque in ea priori muneris functione obeunda agentem: in altera possibilem appellari: multa inuoluunt, à quibus longè abhorruit Aristoteles. Intellectum enim agentem ab omni materia segregatum, nõ permixtum, impassibilem, cuius substantia sit actio, quomodo intelligentem non dicemus? Sed horum causa acta iam est. nihìlque ad illius euersionem desiderat amplius. Illud tamen contra omnes esse uidetur, quod de illuminatione dicitur. Sciscitor ea illuminatio, quidnam sit, quiduè imprimat in phantasmate. Actio certè erit, si quid est. Actionum duo sunt genera. Alterum quod nõ egreditur ab efficiente, sed intus manet. alterũ quod exit, illud alia quapiam re in se recipiente. *Si illuminatio* actio est prioris generis: non pertinebit ad phantasmata. quæ non intellectu Agente; sed in phantasia consident. si autem egreditur, phantasmataque attingit; quæro uel aliquid in illis imprimit, quo apta fiant, ut intelligantur à mente: uel obicem remouet, atque amandat. si quid imprimit, uel se ipsum in illa transfundit: uel noui aliquid molitur, in iisq; quasi lumen quoddam signat. si se ipsum transfundit in phantasma; ergo à se ipso egreditur, quod ne in cogitatione quidem cadit. nisi sit Deus, qui per omnia

intentus

intentus in omnibus insidet. At nos nõ solùm ad intellectionem Dei concursum requirimus: sed ad singulas etiam actiones obeundas, ut alio disseruimus loco. si uerò nouam aliquam qualitatem gignat, in maiores incidimus difficultates. Etenim peto an illam procreet, an exprimat ex materia: undeque illa qualitas existat, quid sit, quomodoq; eam recipiat in se intellectus, quæ noua, et falsa uidentur. In eadem recidimus, si illum impedimentum aliquod arcere affirmemus. nam qua ui, qua actione id efficit? Ex his efficitur in animo non esse Agentem hunc intellectũ, quem isti introducunt. In quo Aristotelis, Alexãdrique causa multis aliis melior est. qui ad lumen illud infundendum, à quo phantasmata uim mouendi intellectum accipiunt, Diuinum hoc Numen adhibuerunt. sed et huic opinioni illa præstat, quæ lumen quoddam in intellectu signat, quo illuminẽtur phantasmata, uiresque accipiant pulsandi intellectum. Nos ab utraque discrepamus. Deum enim requirimus, neque ad illustranda phantasmata: neque ut iis illustratis, unà cum ipsis moueat, exciteťque intellectum, sed tanquam præcipuum effectorem intellectionis: quemadmodum reliquarum omnium actionum præcipuus est auctor. lumẽ uerò animis nostris impressum præter uim ipsam intelligendi nullum efflagitamus: sed ipsam mentem sibi satis esse ad rem obiectam singularem percipiendam censemus.

Ea autem percepta, uariè uolutare, vniuersalemque si uelit, efficere. Hoc autem tali quodam modo fit. incurrunt primùm rerum imagines in sensus. Hæ autem cùm nihil aliud sint, nisi præsentiæ quædam re- *Vniuersalis rei notio, quõ fiat.*

VV rum

rum ex nulla materia expressæ, ut de lumine declarauimus, ad ipsam phantasiam usque pertingunt, in eaque consident. non tamen ita illi imprimuntur, ut rebus amotis conseruari possint. Sunt enim simulachra rerum, quæ si res ipsas tollamus, euanescunt, et abeunt, sed considere in ipsa dicuntur; tum quia rebus præsentibus imprimuntur, tum iis remotis remanet affectio quædam in animo et habitus, quo se ad illa cùm uult facillimè conformat. Iam uerò Mens has imagines in se non recipit: sed ui sua ea imitatione, quam diximus, phantasmata simulat, eoque modo intelligit. Non excitatur autem mens ab imaginibus, quia ab illis pulsetur: sed cùm semper ad intelligendum sit parata, ea cernit, ad quæ habet proportionē. quæ scilicet eius uel intelligentiam non fugiunt, uel captum non excellunt, eiusmodi sunt singularia. Cūque animi uires sint collectæ, atque ad unam indiuiduam substantiam redactæ: mēs, ut cum phantasmate coniūgatur (si opus ea est continuatione. proportio enim uidetur satis) arctius uinculum non desiderat. Peracta uerò intellectione, remanet habilitas quædam, quæ ad intelligendum facile mentem expedit. Hæc si consuetudine confirmetur, constans, firmusque habitus euadit. Ex quo iudicium acre, excellensque memoria existit. Et quod maius est, eo munita præsidio sæpe sine phantasmate cōtemplatur. quoniam eo habitu res quas ante sæpè uidit, facilè imitatur. Quamuis ob connexionem, quam Mens cum phantasia habet, intelligere non possit, quin et illa imitetur. Hoc modo singularia cognoscit. Restat ut uideamus, quomodo et fingat, et intelligat uni-

uersales

uersales rerum notiones. Ex singulari uniuersale oritur: quotiescunque illæ proprietates omnes amouētur, quæ rem singularem efficiunt, inter quas præcipuè sunt locus, et tempus. id autem facillimè præstat singularis rei notione in se recepta. Quemadmodum in hac sententia perspicuum est. Etenim quando dico Romulus non est Cæsar; utrumque excogitat phātasia; utrumque cernit Mens, consideratque Romulum in Latio ante ipsam urbem conditam uixisse: Cæsarem autem multo post tempore in Gallia militasse. Has deinde particulares actiones, locum, tempus, et pleraque alia ab utroque remouet. idest non considerat. Ex qua ablatione, et reiectione pura, remanet natura Hominis. cuius paritatem, æqualitatem, et communitatem in utroque cognoscit. Singularia autem cùm animaduertat, et oriri, et occidere, uniuersales uerò notiones sempiternas in Ideis saltem fuisse, has ad contemplandam, considerandáq; naturam eligit, respuit illa.

Q*uo*mo Mens intelligat uniuersales rerum notiones.

De Numero, et distinctione uirium Humanæ mentis. Cap. VIII.

Vires Animi.

TRES in animis nostris uires, potestatesque inesse, ex his, quæ de Intellectione disseruimus, iã satis constat. Etenim uiget primùm in animo intelligendi uis, quæ et antegreditur alias. Huic subiecta est appetitio quædã, quæ uoluntas dicitur: semperq; boni intelligentiam comitatur. Tum memoria quædam cernitur, ex intelligendi consuetudine orta. De intellectu autem, et uoluntate, ne suspicandi quidem ullus relinquitur locus. Apertè enim uidemus Naturam in cunctis animalium generibus, ad cognitionem boni appetitum quendam adiunxisse: quo illa excitarentur, mouerenturque ad inquirendum, quæ ad suas naturas accommodata esse perspicerent. De memoria obscura est quæstio. Peripatetici nanque cùm animaduerterent, pleraq; animalium genera multarum rerum habere memoriam: eam Phantasiæ quandam esse potestatem, qua rerum imagines retineret, et conseruaret, sunt arbitrati. Nos uerò, quibus non ex phantasmatum retentione, sed ex consuetudine, habituque intelligendi recordatio existit: memoriam utrique concedimus potestati: Phantasia nanque, ut ab illa exordiar, etsi re aliqua obiecta eius imaginẽ in se recipiat, eamque cernat: tamen abeunte re, imago quoque cõcidit, et euanescit. Imago nanque est rei præsentia, ut diximus antea. Restat tamen in illa affectio quædam, cuius munere ad rem, quam præuidit, quæque absens

An memoria polleat Mens.

est

est, facile potest se ipsam conformare. quod, et egregiè præstat, si ad eam imitandam consuetudinem adhibuerit. Mens uerò, etsi re præsente nihil in se recipiat, sed proportione solùm, quam ad eam habet rem, imitando cognoscat: tamen et eandem contrahit agilitatem facilitatem et affectionē, qua confirmata, rursus si uelit, rem etiam absentem potest imitari. Vis autem rē absentem imitandi, ex eo habitu exorta, memoria nūcupatur. Quapropter cùm iam constiterit, et intellectionem imitatione absolui, et agilitatē imitandi post intelligentiam in mente remanere: perspicuum quoque est memoria pollere intellectum. Sequitur, ut uideamus quonam modo hæ animi potestates inter se differant. Sunt enim multi qui eas, naturales qualitates esse existiment: quarum subiectum sit animi substantia. Quocirca illas omnes, cū inter se, tum à substantia tanquam qualitates quasdam, quæ una in re conuenerint, internoscunt. Verùm si uoluntas nihil appetere potest, nisi intelligentia præcurrat, quomodo erit uis ab intellectu distincta? aut enim incognita appetet: aut cognitio illi aliqua est ascribenda. Deus quoque si uelit mouere, impelleréque uoluntatem ad amandum aliquid, necesse est, ut illud intelligenti ui primùm obiiciat. itaque si est distincta qualitas, cur nulla præcurrente cognitione non urgetur incitaturque ad appetendum? Omnes quoque propensiones, quas sparsas cernimus in mūdi partibus, à substantia non seiungi apertè constat. in primisque in ipso sensu. idem enim primus rem obiectam percipit. quam si et bonam, et sibi consentaneam agnouerit, idem illam concupiscit, et appetit. De memoria res est

Q̄ō internoscantur Animi uires.

est clarior. Memoria enim est animi uis, ex quadam consuetudine intelligendi orta, qua ille res antè perceptas imitari potest. Hic autem est intellectus ipse, qui et habilitatem illam retinet imitandi, et ea rursus utitur. Ad eandem enim potestatem spectat habitus, et illius usus. Ex his constat Hominis mentem unam rem esse, quæ tres obtineat uires intelligendi, amandi, recordandi: Atque in his generibus tam diuersas obeundi operationes, non solùm simplices, et uniusmodi: sed etiam diuersas, et contrarias. Id autem illi congruit propter eius nobilitatem, et diuinitatem. Quamuis autem animi uires à substantia animæ absolutè non internoscantur: tamen earum functiones distinctæ sunt, atque una alteri subiecta. Ex hac nata est ipsarum uirium distinctio. quas cũ mens animaduerteret, uires quoque distinxit in animo. modòque animum principium facit intelligendi, modò uolendi, modò recordãdi. Quapropter scitè Diuus Augustinus Intelligentiam, Voluntatem, Memoriam unam uitam, unam Mentem, unam substantiam esse dicit. dum uerò illæ ad suas munerum functiones referuntur: tres uires emergunt. Hæc est imago Altissimæ Trinitatis, in qua una quidem absoluta est natura, tribus Relationibus communis.

De uoluntate. Cap. VIIII.

HACTENVS existimo perfectionẽ illam, quæ ex intelligenti ui nobis existit, suis partibus satis distributam esse. Restat ut alteram dispiciamus, quæ in uoluntate, uoluntatisque libertate posita est. De qua cum Physici, tum ii, qui de moribus accuratè conscripserunt: tum qui diuinas tractant literas, multa, eademq; præclara agitare uidentur. Hæc autem triplex illius consideratio inde est exorta: quòd uoluntas, et intelligentis naturæ uis quædam est: et humanarũ actionum principium, atque earum non solùm, quæ ad effingendos mores pertinent; sed illarum etiam, quibus Diuinam gratiam, et fœlicitatem consequimur. Ex his autem ea duntaxat cõmouebimus, quæ et præstantiora sunt, et à nonnullis in controuersiam adducta. Primum itaque illud consultò prætereo, uim quandã appetendi hominibus à natura tributam esse, quæ principium sit eorum omnium, quæ aguntur in uita. Animorum enim duplices sunt motus, cogitationis nimirum, et appetitus. Cogitatio in uero, bonoq; exquirendo uersatur: Appetitus impellit ad agẽdum. Quapropter, cùm in hominũ actionibus tantam uarietatẽ cernamus, necesse est in illis multiplicem quendã uigere appetitũ. Videmus etiam cũ hominem ipsum, tũ reliqua animantium genera, quę ad suam naturam accomodata cognouerint appetere, et respicere illa, quæ nocitura uidentur. Itaque necesse est ad omnem boni cognitionem, interiorẽ quendam appetitum adiungi.

Hic

Hic autem nihil aliud est, nisi declinatio quædã, atque in bonum propensio. quæ ab ipsa animi ui non internoscitur. Ea uerò Applicatio, quæ intelligentiæ iungitur, uoluntas nuncupatur. De qua illa primùm orta uidetur esse inter philosophos dissensio; libera ne ad appetendum sit, an aliundè impellatur, trahaturque ad agendum. Quidam enim causarum seriem sempiternam introducentes, eam fati necessitate deuinciunt. Alii uoluntatem tantum appetere dicunt, quantum à bono antea comprehenso mouetur. quocirca si uehementiùs pulsata fuerit, ab appetendo abstinere non posse. Quod si res ita se haberet, nihil esset in nostra potestate. Hoc autem cùm tollunt, iuditium tollunt uirtutis, et uitii. Etenim quæ necessitate fiunt, nec laude, nec uituperatione digna censentur. neque iis, aut pœnæ, aut præmia legibus proponuntur. Sed si considerare uolumus, quomodo in iis, quæ in consultationẽ ueniunt deliberandis, se gerant Homines, profectò nostrarum actionum potestatem in nobis esse agnoscemus. Etenim efficientium causarum tria sunt genera, quiddam quod nulla præcurrente cognitione, sed incumbente tantùm natura agit. Aliud quod cognoscit quidem, et appetit: sed eius appetitiones à nulla reguntur prudentia, sed à natura. Eiusmodi sunt bruta animantia: quæ tantum ad ea, quæ præsentia sunt se se accommodant, quãtum sensu mouentur, nihil amplius requirunt. nihil agitant, nullã faciunt bonorum comparationem, non consultant. Electio uerò, quæ illis tribuitur, à natura est. quæ quædam appetit, fugit à quibusdam. Tertiũ est, quod uim consultandi habet. Hic aut est homo, qui suarum

De libera uoluntate.

actionum

actionum consilia init, argumentatur, refellit, disserit, conficit, concludit. quo in munere fungendo, et minora bona cum maioribus confert, et rationes comparat, ut eligat quod illi optimum uidetur. Quæ bonorum comparatio inanis futilisque esset, si nihil esset in nostra potestate. Denique uis illa resistendi, siue illam pertinaciam, siue peruicaciam appellemus, quæ à nemine (rem, potestatemque infinitã excipio) aut frangi, aut cogi potest: quid aliud est quàm nostræ libertatis origo prima? Quod enim ad aliquid efficiendum moliendumvè cogi non potest, id liberũ est. liber itaque erit Homo, quia omnibus acriter cùm uoluerit obsistit. Libertas autem, siue ut alii dicunt liberum arbitrium est uoluntatis facultas eligendi, uel non eligendi id, quod in cõsultationem uenit. In quo uel maximè à brutis seiungimur. Etenim ea, quæ nostram electionem, uel impediunt, uel auertunt, à nostra fluunt potestate, quæ dum nõ solùm, quæ adsunt considerat: sed, et lõginquum spectat, illaque uicissim confert, præsens bonum modò eligit, modò refugit, atque sæpe contrarium optat. Bruta uerò animantia si in bonum aliquod, à quo excitentur incurrant, ad illud tantum declinant, quantum pulsantur. Versatur uoluntas in bono, et malo; quemadmodum intellectus in uero, et falso exquirendo. Tria autem sunt eorum genera, quæ sub intelligentiam cadunt. quiddam perspicuum, et euidens, cui intellectus non assentiri non potest. Aliud, quod perspicuè falsum apparet, cui nec assentitur, nec potest assentiri. Tertium inter hæc ueluti medium quoddam interiectũ, pro-

Quid sit libertas.

In quibus uersetur uoluntas, et libertas.

babile nuncupatur. cum quo modò conuenit, modò dissentit. Totidem ad appetitum spectant. Euidentia bona, quæ uoluntas non eligere non potest. Perspicuè mala, quæ refugit necessariò. Quædam, quæ et bona, et mala uideri possunt, atque hæc et libere eligit, et fugit. Ex quo illud existit, fieri non posse, ut quis Deum nō amet, si illius plena præcurrat notitia. Cùm enim sit omni perfectione cumulatus, et in nulla re deficiat; ita mouet ad se omnia, quæ ipsum nouerint, ut illa libentissimè ad illum accedant. Quamuis autem in nostra non sit potestate fugere à summo bono: tamen ad illum motum consequitur quædam animi assensio, ut, etsi in nobis esset illud appetere, uel non appetere, illud tamen uehementer desideraremus. Verùm cùm animi dum in corpore degunt, multarum rerum, Deique in primis cognitione deserantur, multi quoque illum nec appetunt, nec amant. Id autem quod nunquam refugere possunt, est benè, beateque uiuere. Quod tamen ab ipso Deo nobis existit. Ex his efficitur nostrarum actionum nos dominos, moderatoresque esse, dispari tamen quadam ratione. Sunt enim quædam quæ proximè subiiciuntur uoluntati. ut actiones omnes, quæ pertinent ad effingendos mores: innumerabilesque aliæ, inter quas et intelligentia censetur. Quamuis enim uoluntas Menti præscribere non possit, ut nō assentiat euidenti, et perspicuo, uel assentiatur perspicuè falso: tamen illi tanquam uirium Animi Regina imperat, ut suas obeat munerum functiones, uel ab iis obeundis abstineat; intelligatq;, et non intelligat. Sunt aliæ, quæ nō omnino illi subiiciuntur,

ciuntur,sed temperantur solùm, ueluti quæ ad tuendam sustinendamque uitam necessaria existimantur. hæc enim etsi necessitate quadam eligamus, tamen illa uariè moderari ualemus. Quatuor autem sunt quæ nostram libertatem imminuunt. Principiò declinationes propensionesque animi, quæ ex corporis temperatione, atq; habitu existunt. deinde animi affectus, uehementesque perturbationes. tum ægritudines illę, quæ Animum attingunt. Postremò ignoratio, ingens animi morbus.

De Prædestinatione. Cap. X.

CVM summus ille Naturę auctor, princepsque Deus Vniuersum hūc Mundum magna Prouidentia cōstitutum pulcherrimè regat, et administret: tum in primis rerum humanarū procurationem habet. Etenim non solùm communi Prouidentia, qua cuncta gubernat, hominibus consulit, atque non solùm Vniuersis, sed etiā singulis: uerūetiam peculiarem quandam ipsorum curam gerit. Vtramque exigebat finis, ad quem nati institutique sumus. Qui cùm duplex à Deo sit præstitutus: alter qui naturæ par esset, alter qui illam longè multūque superaret, ut utrunque consequeremur, summo consilio, summaque sapientia ab eodem prouisum est. Nam quod ad naturalem attinet, eas nobis opes de thesauris suis suppeditauit. quas et natura desiderabat, et ad finem adipiscendum necessariæ uidebantur. Principiò Animum adiunxit ad corpus, tū ut ex sensibus, quasi rerum quibusdam nunciis scientiam, qua carebat, hauriret: tum, ut nouum quoddam uirtutis genus exerceret, quod in Animi uiribus in officio continendis, immoderatisque cupiditatibus refrenandis positum est. Deinde, et ut animus includi continerique in corpore posset, et ad uitæ commoditatem, iucunditatemque eum mortalium omnium Principē effecit. Atque eius in usum, tot inanimatorū, animantiumque genera, Cœlumque ipsum, et quæcunque à Cœlo manant, comparauit. Atque illum his

præ-

præsidiis confirmauit, rectèque ad naturæ finem direxit. Alter uerò finis cùm omnem hominũ uim multis partibus excellat, maiora adiumenta requirebat. Facultates nanque, et instrumenta, quæ nobis tribuit natura, tanta non sunt, ut iis diuinam hác beatitatem assequi possimus. Quapropter ea nobis auxilia tulit Deus, quibus subnixi, etsi hanc acquirere fælicitatem non possimus, promereri saltem ualeamus. Hæc diuina illa sunt munera, quæ in mysteriis continentur. Gratia, Angelorum fida custodia, qui et ministri sunt consiliorum diuinæ prouidentiæ, admirabilis illa Dei cum humana natura coniunctio; qua humanum genus antea à fælicitate deturbatum, ab immani Dæmonis seruitute in libertatem est uindicatum. tot sacramenta, per quæ diuina gratia participamus. Abstrusa deniq; illa Dei deliberatio, qua ex oĩbus, ita quibusdã fælicitatem destinauit, ut illã non adipisci non possint. Quæ res cumulatè à Patribus, atque Theologis est agitata. Nos uerò, ut rationem nostri instituti retineamus, significemusque incredibilem Dei bonitatem, magnitudinemq; consilii, quo Hominem regit, duas illas maximas quæstiones breui oratione percurremus. in quibus, cum de gratia quæritur, quæ in homines confertur à Deo: tum de causis, quæ eundem impulerint, ut ex omnibus hominibus quosdam eligeret ad sempiternam beatitatem. De gratia autem primo loco disseramus. Principiò sunt, qui existimant, gratiam ad salutem necessariam à Deo cũctis Hominibus exhiberi: non tamen continenter, sed temporis quadam uicissitudine abeunte, et acce- Ricar. Tap. art. 7. de lib. arb.

dente

dente Diuino spiritu, ut ei libet. Id quod indicant interiores animi sensus, qui non semper in eodem sunt statu, sed commouentur, excitantur, crescunt, deficiunt, extinguuntur. Alii contra dicere uidentur. putant nanque omnes homines diuina gratia participare, atque in omni uita: paucis quibusdã exceptis, qui propter nimiam in nefariis sceleribus perseuerantiam diuino auxilio ita deseruntur, ut amplius redire in gratiam cum Deo nullo modo possint. De his (aiunt) diuinas literas frequenter illa inculcare.

Rofen. de lib. arb. art. 36.

Dati sunt in reprobum sensum.

Induratum est cor eorum.

Iam iudicati sunt.

Gre. Arim. 2. sen. d. 26. q. 1. art. 3.

Quorundam autem opinio fuit, non omnibus gratiam tribui, quæ satis sit ad promerendam fælicitatem; sed ijs duntaxat, quibus Deus fęlicitatem destinauit. Quæ sententia, cùm durior plerisque uideretur, eam ita moderantur, ut illam satis esse concedãt pro obtinendo fine, si toto naturæ nixu, acerrimè contendant. Verùm cùm ea in omnibus cernatur fuga laboris, nemo est qui omnes uires in religione præsertim, cultuque diuino impendat. Quapropter nisi Deus affluenti gratiæ munere eos præcurrat, (quod tantùm tribuit electis) non possunt ad fœlicitatem peruenire. Hæc isti.

Adr. in 4. sen. q. 1. de sacra. pen. q. 1. 2. 3.

Mihi uerò diuinas literas sæpe legenti, fieri non posse uidetur, ut Deus necessario ad fælicitatem præsidio quemquam, aut aliquo tempore deserat. Si enim aliquis est, cui diuina gratia non suppetatur, quomodo Deus omnes Homines saluos uult? quorsum tam crebra compellatio,, hor-

Paul. ep. 1. ad Thimo. cap. 2.

hortatioque ad salutem? Vbi misericordiæ Dei toties celebratæ, et à Prophetis decantatæ? quomodo miseratio iudicium excellit? Etenim inquit Deus,

Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar. et illud:

Non te deseram, nec derelinquam.

Deinde si Deus tot minas iactat, tot pericula intendit, tot formidines opponit, ut ab improbitate abstineant: iniquum est sentire, eundem eos à flagitiis gratia non subleuare: sed imò illis peccandi tempus concedere. Quod inficiantur diuina eloquia. Tempus autem peccandi esset Hominibus, si eos Deus gratia spoliaret. sine illa nanque non possunt fugere à peccatis. quocirca totum illud uitæ spatium, in quo isti à Deo sunt auersi, tempus peccandi esset. Ecclesiasticus.

Denique si infinitum est CHRISTI meritum, ut illo non solùm gratiam, sed etiam omnia auxilia peculiaria Hominibus promereretur: quo iure hæc illis denegabit Deus? Duo quoque hac de re extant Concilii decreta, quæ eos execrantur, qui affirmare auserint, in eos, qui pereunt, gratiam ad salutem necessariam collatam non fuisse. Magnum quoque est testimoniũ Patrum, qui frequentes in hanc sententiam iuere. Primusque omnium Dionysius Areopagita, qui Dei bonitatem similem esse ait sigillo, quod omnibus sui imaginem consignat, et impertiat. Varietatem autem imaginum non ex sigillo, quod æquè omnibus incumbit, instat; sed ex molitie, duritieque materiæ deducit, Deumque ait, quasi alterum Solem

Cõcil. Gallic. quod refertur à Fausto ad Lucidũ præsbyterum.

lem in omnia suos radios immittere, iisque accendere cuncta; nisi densi corporis obiectu lumen respuerint. Hæc autem materiæ durities, hic interiectus obex, est ipsa libera uoluntas obsistens. Ciprianus quoque lumen diuinæ gratiæ in omnes effusum cunctos complere ait, nisi quis illi oculum occludat, Anselmus uerò quærit, ceciderit ne Lucifer, quia illi Deus gratiam perseuerandi non tribuerit, an quia ille eam contempserit? affirmatque ex eo, quòd ille eam despexerit, cecidisse. In idem Ireneus, Chrisostomus, Hieronymus omnino consentiunt. Ex his efficitur Deum cunctis Hominibus continenter gratiam ad salutem necessariam impartiri, idque tam certum esse, ut ad ipsam fidem quàm proximè accedat. Quamuis autem omnibus diuinum hoc auxilium impertiatur: probabile tamen est, paucos aliquos ita omni gratia destitui, ut et si summis naturæ uiribus contendant, non posse eos in gratiam unquam redire. Horum duo sunt genera. Primum est eorum infantium, quibus uita ante susceptum sacrosanctum Baptismum eripitur. Etenim hi cùm Dei ope omnino deserantur, summam indignationem, qua Deus contra Humanum genus, ex eo peccato, quod à primo parente ad omnes permanauit, exarsit, maximè declarant. Alterum genus est eorum, qui propter nimiam, diuturnamque peccandi licentiam, scelerumque grauitatem: atque post neglectas omnes diuini spiritus cōmotiones: contemptasque sacerdotum admonitiones, dignos se præbuerunt, qui iis beneficiis priuarentur, quæ contempserunt. In quam sententiam

In ea uerba Ioānis, Erat lux uera.

multæ

multæ sunt diuinarum literarum auctoritates, præsertimque illæ,

Dimisit eos in adinuentionibus suis. Et rursus Angeli Babyloniæ custodes ita inter se colloquuntur,

Custodiuimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Et illæ,

Deus cuius uult miseretur, & quem uult indurat. idest deserit. Rursusque,

Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum. Idipsumque tum de Iuda, cum de Damasco affirmat. Apostolus quoque de Esau hæc profert,

Nec inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacbrymis inquisisset eam.

Idipsum ea ratio confirmat. Etenim si iis, quos diximus, inquinatis peruersisque Hominibus necessaria ad salutem gratia à Deo impertiretur, melior illorum uideretur conditio quàm proborum. Nam quò quis diutius in uitiis consenuit, eò ægrius ab iis emergere ualet. cùm peccandi consuetudine crescat imbecillitas euadendi. quò uerò quis infirmior est ad pugnandum cum uitiis, eò maiori eget auxilio, ut ea depellat. Quocirca si iis Deus tantum gratiæ tribuit, quantum requiritur ut fugiant à uitiis; affluentiorem quoque iis tribui oportet, quàm cæteris impertiatur. Verùm etsi (ut diximus) hæc sit multorum probabilis sententia; uerisimile quoque est nullos eiusmodi Homines reperiri. sed cum omnibus Deum gratiam, quæ ad salutem satis sit, communicare. Quod primum ex iis, quæ antea de

gratia, quæ omnibus confertur disseruimus, acriter comprobatur. tum quia Deus omni sceleri, quamuis nefario, atque grauissimo pollicetur ueniam, si præstiterint Homines, quod in ipsis est. Hoc, et Decretum Lateranensis Concilii indicare uidetur; cuius hæc sunt uerba,

Quicunque post Baptismum in peccata lapsus fuerit, potest per ueram pœnitentiam reparari.

Hæc de gratia. Veniamus ad Prædestinationem, quæramusque causas, quæ Deum impulerunt, ut ex omnibus Hominibus, ita quibusdam fælicitatem destinaret, ut ab ea nulla ratione deturbari, aut dimoueri possint. Et rursus quid illum mouerit, ut alios eodem beneficio non afficeret. Res grauissima est, et in qua inquirenda, piissimi, doctissimique uiri diù defatigati, inuenire quod quærerent diffisi sunt. Quapropter nos ita Patrum sententiis insistemus, ut ab iis nunquam recedentes, quid constantiùs dicatur, exquiramus. A sententiis itaque Theologorũ exordiamur, quæ multæ, eædemque discrepantes extitere. Omnes autem hoc diuinum consilium, tanquam multis actionibus peractum exponunt; non quod aut illud à Diuina Natura internoscatur; aut tẽpore indiguerit Deus ad decernendum, sed rem, quæ Hominum captum excellit, ad nostram accommodãt intelligentiam. Principiò (aiunt) Deum nullis Hominum meritis consideratis, sed sua libera absolutaque uoluntate commotum, quosdam ita ad fœlicitatem elegisse, ut eisdem gratiam tribueret, qua boni essent. Quocirca non quoniam boni sunt, destinatur homi-

Mag. sentẽ. d. 40. 41. ibid q. 1. articulo 2. Duran. q. 1. art. 2.

hominibus beatitudo: sed quia à Deo iam sunt electi, iccircò sunt boni. Alios uerò neque optauit, neque repudiauit; sed ita eos uitæ commisit, ut illos in errores incurrere non prohiberet. cuius rei causa est eadem Dei uoluntas. Eos autem sponte ad peccata prolabentes ad æterna supplicia condemnauit.

Aliorum sententia est Deum quosdam Homines elegisse, reprobasse alios, sed iustis causis impulsum. Quosdam enim reiecit in sempiternam pœnam propter peccatum originis, quo inquinati è uita excessere. Multos propter peccata, quæ ipsi perpetrauerunt. plurimos propter utrunque. Multi autem negant fuisse causam aliquam, quæ Deum ad hoc consilium adduxerit, non solùm naturalem, quod certissimum est; sed nec etiam meritum, quod Dei iustitiam ad illud astrinxerit. Sed rationem aliquam huius rei esse fatentur. eamque in nobis esse defendunt. quæ nam autem hæc sit, non audent affirmare, sed cum angustiùs interrogantur, respondent eas esse Hominum actiones, quas Deus perpendens, quatenus non ex gratia, sed ex solo libero arbitrio existunt, alios elegit, recusauit alios. quas causas occultas esse, atque abstrusas dicunt.

Sot. I com. in 9. cap ad Rom.

Bonau. p. sen. d. 41. art 1 q 2. Enric. de Gād. quol. 5. quæst. 8. Alex ā Ale. lib. 1. sum. quæst. 43. membr. 3. art. 1. 2. Alber. I sū. tract. 16. q. 43. mēb 3. Thom. argen 1. sen. d. 41. q. 1. art. 2.

Iudicia enim Dei Abyssus multa.

Hæc illius æternæ constitutionis ratio. exequutionis uerò. i. fælicitatis & miseriæ causas assignant meritum, et peccatum. Ad quam sententiam crediderim reuocari posse omnes antiquos Theologos. Sunt alii qui homines in duas secernūt ueluti classes. quarum alteram electos ad fælicitatem continere affirmant.

Nomin. p̄sertim Gab. Diel. et Ocā. 1. sen. d 41. Cater. huic sniæ q̄dam adiiciēs, eā suo noīe fecit illustrē.

mant. ad quos optandos nullus eorum liberi arbitrii bonus usus, sed solùm eius voluntas Deum impulit. in altera cæteros omnes reponunt. quos et si Deus nõ elegerit: eos tamen nec recusauit, nec condemnauit. sed his omnibus Deus decreuit eas opes suppetere, quibus ad salutem indigerent. ea lege in fęlicitatẽ direxit, atque instituit, vt si diuina gratia adiuti rectè libero arbitrio uterentur, ad metã incolumes peruenirent: sin minus eorũ culpæ diuina iustitia uindicarentur. Quapropter aiunt, illos hallucinari, qui existimant eos dũtaxat ad beatitatem peruenturos, quibus illa est destinata. id. n. ex nullo diuinarum literarum loco duci potest. imò si diuinas spectemus literas, *illæ apertè* uidentur discrimen facere inter electos, et illos, qui salui futuri sunt. Etenim Ioannes ubi multa millia signatorum, quæ in Cœlo erant dinumerasset, ait:

Post hæc uidi turbam magnã, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus atque nationibus.

Signatos appellat singulariter electos, præter quos innumerabiles alii beatam indegebant uitã. Et illud:

Sexaginta sunt reginæ, et octuaginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

Reginæ, et concubina sunt singulariter electi. Aliorũ uerò, qui sua libertate salui fiunt, ingẽs est multitudo.

Cæterum de iis, qui fælicitatem assequentur, ita sentiunt. ut definitus sit eorũ numerus, quem excellere sit nefas. Qui aũt ii sint, qui eum numerum sint impleturi, perspectum quidem Deo est, et cognitum: cũ nihil illius fugiat intelligentiam: diuina tamen Prouidẽtia

non

non est constitutũ. Sed ex bono libero arbitrii usu in eum ordinem cooptantur. Diuus autem August. qui primus omnium Prædestinationis causam cõmouere uisus est, rem hanc ita ferè explicat. Deus ab æterno perspexit primum nostrum omnium parentem lege, quã ei præscripserat cõtempta in peccatum prolapsurum. in quod ét omnis eius posteritas ex pacto cum Deo inito, incurrere necesse fuit. Eo antẽ perpetrato sempiterna pęna digni uidebantur. quæ si illis inflicta esset, nemini iniuriã fecisset Deus. Verùm noluit de omnibus hanc proferre sententiã, sed de nonnullis. quos ita reliquit, ut eos in regnum non elegerit. quo posito sequitur hos nunquam ad fælicitatem peruenturos. Quibusdam uerò nullis eorum meritis, sed sua pietate adductus absoluto nutu, atque imperio, quod habet in omnia, fælicitatẽ destinauit. Huius secretionis, et optionis ratio fuit. quod in illis uoluit testatam relinquere suam misericordiam: in his uerò seueritatẽ suæ iustitiæ. Cur autem Deus in his potius pietatem suam ostenderit, in aliis uerò indignationem indicarit, solus Deus id nouit; mortalibus uerò incomprehensum omnino est. Denique Deus iis, quos elegerat, statuit impartire omnia præsidia, et gratiã ad rectè uiuendum. quibus et in bono perseuerarent, et beatam, æternamque uitam promererentur. itaque merita Hominũ præuisa non impulerunt Deũ, ut illos ad beatitudinẽ optaret, sed ea fuerũt euenta prædestinationis. Ex his efficitur Augustinum sentire ad id uniuersum consilium, et eligendi, et non eligendi nullo uel peccato, uel merito, sed sua uoluntate impulsum esse.

Aliis

Lib. 1. de p̃dest. sanct. cap. 9.
Lib. 2. c. 8. & 14.
Lib. de præ dest. & gratia. cap. 3.
Lib. de corrept. & gratia. cap. 7.
Enchyr. c. 98. 99.
Lib. 21. de Ciuit. Dei. cap 11.
Lib. 83. q. q. 68.
Lib. 1. ad Simpl. q. 2.
Lib. de prædest. & gratia. cap. 7.
Lib. 1. de p̃dest. sanct. cap. 14.
Lib. 2. c. 8. 11. 14.
Lib. de corrept. & gratia c. 8.
D. Thom. 1. par. sum. q. 23.
Quol. 1. artic. 8.
Secunda secũdæ q. 10. articu. 1. in corp.
Q. 5. art. 5. ad secũdũ.

Aliis uerò in locis, ait peccatum originis in causa fuisse, cur Deus eos non elegerit quos recusauit. In quam sententiam Diuus Thomas ire uidetur, multique alii præstantissimi uiri. Hæ sunt à Theologis retentæ, defensæque sententiæ. Quapropter si in re tam ardua, et perdifficili nobis est aliquid proferendum, libentiùs Diuo Augustino, & Diuo Thomæ, quàm cuiquam alteri assentimur. Qua de re nostræ huius opinionis rationem explicemus. Principiò Deus sine ulla iniuria potuisset omnes Homines, uel insontes ad æterna supplicia condemnare: sed id neque facere uoluit, neque fecit. Etenim cùm hanc rerum uniuersitatem, non solùm summa libertate procreauerit, sed etiam continenter conseruet, dominium quoddam solutum, et liberum, nullique subiectum in cunctis habet, quo ut illi libuerit, uti potest.

Aug. I lib. de prædest. & gratia. c. 16. & in ep. 116. ad Polinum. D. Hiero. in illud Paul. ad Ro. c 9. Nunquid figulus. &c.

Quis enim Deo dicet cur ita fecisti, aut quis stabit aduersus iudicium tuum, aut quis tibi imputabit, si perierint omnes nationes, quas tu fecisti?

Verùm quoniam non solùm Deus Mundi Princeps, sed etiam rectissimus iudex est, iccirco nemini pœnas constituit, qui illas non emeruerit. maximè enim æquitati repugnat, aut insontem punire, aut suo arbitratu aliquid statuere, quod eorum quæ in iuditium ueniunt benè, uel malè merita, non exæquet. Hæc enim iudicem accuratè, diligenterque considerare oportet; deque his pronuntiare sententiam. Ex lege itaque quàm Deus sibi ipsi præscripsit, res humanas administrat, et regit, atque in iis non tam Domini,

ni, quàm æquissimi iudicis personam gerit. Quapropter neminem ad pænas condemnat, qui iis dignum non se exhibuerit, sed omnis repudiatio ex peccato effluxit. Deus enim non prius est ultor, quàm homo peccator. Sententiam uerò illam. Aug. lib. 11. super Gen. ad literam c. 24.

Iacob dilexi, Esau autem odio habui, antequàm quicquam boni, uel mali egissent.

Chrisostomus, Hieronymus, Theodoretus, Ambrosius, Origenes ita interpretantur. Deus odit Esau antequàm quicquam mali egisset coram hominibus, sed non coram Deo. Odium enim illud natum est ex peccatis Esau, quæ in æternitate præuiderat. Huius rei grauissima, et constantissima sunt Patrum testimonia. Etenim Deus Homines non creauit, ut perderet, sed ut eos suæ bonitatis participes faceret. Ex his efficitur Peccatum originis iustam fuisse rationem, quæ Deum impulit, ut multos ad fælicitatem non optarit. Causa uerò huius secretionis, cur scilicet cum æquè in omnibus, et misericordiam, et iram prodere posset; in iis tamen magis uoluit miserationem testari, in illis uerò indignationem; causa fuit diuina uoluntas, quæ in decernendo æternas sequitur suæ sapientiæ rationes. ad quas mens nulla ualet aspirare. Restat, ut eos admoneamus, coarguamusque, qui ex prædestinatione licentiã in uiuendo sibi parant. Etenim aiunt, si prædestinatio à solius Dei pendet uoluntate. Quorsum diuinarum literarum tã crebræ admonitiones? tot Piorum, sanctorumque preces? tot iustorum laudes? tot denique labores, uitæ incommoda, pericula, quæ subeunt Homines in Dei cultu, et Veneratione?

Faust lib. 2. de lib. arb. Dama. li. 4. cap. 20. & lib. 2. c. 29.

ne? Etenim si ex Dei æterno decreto certus est, et immutabilis uniuscuiusque euentus, quoquo modo se gerant Homines, siue prauam, siue rectam uiuendi rationem sequantur, non possunt, non peruenire ad eam metam, quam Deus illis præstituit. Quocirca Prosper Aquitanus Augustino obiectat, eius auctoritate, et sententia commoueri Homines, et contremiscere, multosque curam emergendi à delictis abiicere. Improbis enim timorem incutere, iustos autem ab eo ardore, quem in Dei cultu exhibent, retrahere dicunt, quia neque improbis profuturum est bene agere, si iam sunt reiecti; neque iustis à recte uiuendo desistere, si iam illis à Deo est destinata fælicitas: neque finis ignoratio quicquã Homines mouere potest, cùm iam ille certus, constitutusque sit, et qui nulla ratione mutari potest. Hæc illi. Quibus, ut hunc animi aculeum, atque scrupulum, qui eos dies, noctesque stimulare, ac pungere uidetur euellamus, altiùs consideranda res est. Etenim unicuique Hominum concessum est ius quoddam sperandi se ex eorum numero esse, qui à Deo ad fælicitatem electi sunt. Hoc autem nobis ius esse, cum conditio status, in quo degimus, tum prædestinationis, repudiationisq; signa, mirificè confirmãt. Etenim si ratio status, nimirum hanc uitam spectemus, cùm ea sit uia quædam ad miseriam, fælicitatemque indifferens, imò ex primario Dei consilio instituta, ut ad beatitudinem perduceret, in magnam inducimur spem assequendæ beatitatis. Signorum quoque uis hanc nostram spem probabiliorem, credibilioremque facit. Etenim loca,

tempora,

tempora, parentes ex quibus naſcimur, et à quibus educamur, amici cum quibus uerſamur et uiuimus, magna ſunt inditia electionis et recuſationis. Magna quoque illa. Animi propenſiones uarias, multipliceſque declinationes, quas à natura expreſſimus. Hæ enim maiorẽ uim obtinere uidentur, quàm quæuis conſuetudines, uel habitus: adeò nanque iniucundum arduumque eſt cum ſua natura pugnare, ut ueriſſimè ille dixerit.

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Ad idem pertinet bona illa, uel mala fortuna, quã in agendis, tractandiſque rebus, quæ ad beatam uitam ſpectant, experimur. Denique hæbetudo ingenii, et acumen: rerum, item ignoratio, et ſcientia hoc Dei conſilium ſignificare uidentur. Multi enim adeo ſunt inſani, et ſtupidi, ignari alii: ut temerè uiuere uideantur. Hæc inditia, etſi magnum momentũ habeant; ea tamen, quæ repudiationem indicant, tantum infirmauit Deus, ut nullum omnino timendum ſit. Nam ex his, quod maximum eſt, nimirum ſi alicui Deus patefaciat eum in ſempiternam miſeriam incurſurum; quomodo ſit accipiendum, intetpretandumque ipſemet Deus exponit. Ezech. 33.

„ Si dixero impio morieris, et ipſe conuerſus pænitentiam egerit, uiuet, et non morietur. „

Quæ cùm ita ſint, eos compello, quos uel ipſum prædeſtinationis nomen à minori cura ad ſummum timorem traduxit, uti nè uelint hoc ſperandi iure, necne? ſi reſpuunt, Homines inſaniſſimi mihi uiden tur, qui ſibi malè augurant, cum poſſint bene omi-

nari. idque illis uitio uertendum erit, non autem obiectandum Deo, qui omnes rectè ſperare iubet. Neque ſpes iſta inanis futura eſt, cùm in diuinis literis frequentiſſimè legamus, eos, qui ſpem in Deo ponunt, et illi confidunt, nunquam derelictos fuiſſe.

„ Si potes credere (ait) omnia ſunt poſſibilia credenti. et illud.

1. Machab. c. 2.

„ Cogitate per generationem, et generationem, quia
„ omnes, qui ſperant in eo, non infirmantur. et rurſus:
„ Etenim qui ſuſtinēt te non cōfundentur. Itemq;.
„ In te Domine ſperaui non confundar in æternum.
Et Apoſtolus admonet.
„ Spe ſalui facti eſtis.

Iuuat nos quoque hæc ſpes ad uitæ mandata ſeruanda. nullum autem, qui mandata Dei ſeruat, condemnandum eſſe teſtantur diuina eloquia.

„ Non uidi unquàm ſemen iuſtum derelictum.
et illud.
„ Non dabis in æterno fluctuationem iuſto.

Quocirca argumentatio, quam uos affertis, captioſa, fallaxque eſt. Spero me ex eorum numero eſſe, cui fælicitas ſit deſtinata. Scio deſtinatum perire nefas eſſe. igitur Deo uidendum laborandumque eſt, ne pereant electi? captioſiſſimum concludendi genus. Etenim, etſi primum quod ſumitis, ſimplex, certumque ſit: alterum tamen non nihil inuoluit. Igitur ea ſententia, electum perire non poſſe, introſpicienda, diſtinguendaque eſt. Nam, uel eam interpretamini, ut hæc ſalus à Deo duntaxat ſit procuranda; Quod ſi dicatis, uos in maxima rerum ignoratione uerſari neceſſe

cesse est. Deus nanque ita nos elegit, ad finemq; optauit, ut illud etiam unà statuerit: nobis quoque uehementer uidendum, laborandumque esse pro beatitate assequenda. Si uerò, et ad id Deum præcipuè requiritis, et secũdo loco nostrãm operam efflagitatis, quomodo Deo concludetis laborandum esse? Cùm præsertim ita nos elegerit, ut potestatem etiam dederit, nos ipsos aliqua ratione in eundem finem eligendi. Ex quo existit illud,

Si non es prædestinatus, prædestineris. ”

Id autem præstamus exequendo, ea, per quæ nos in beatitatem direxit. Ex quibus et alterius argumentationis fallacia apparet, quando ita rem concluditis, non possum mihi fœlicitatem penitus destinare, ergo nolo mihi eam destinare eo modo, quo possum. Perinde enim est, ac si quis cùm plenè se iuuare non possit, præcisè quoque id facere recuset. et eò magis cùm nobis diuinæ literæ recipiant, ut si quis ea ratione qua potest fælicitatem procurauerit, Deum plenè, cumulatèq; illum ad eam optaturum. Atque hæ abstrusi huius diuini consilii causæ iustissimæ.

F I N I S.

INDEX CAPITVM OMNIVM QVAE IN hiſce libris ſex continentur.

Capita primi libri.

Capita ſecundi libri.

Capita libri tertii.

Capita libri quarti.

Capita libri quinti.

Capita libri sexti.